PHOTII PATRIARCHAE

LEXICON.

PHOTII PATRIARCHAE

LEXICON.

RECEUIT, ADNOTATIONIBUS INSTRUXIT ET PROLEGOMENA ADDIDIT

S. A. NABER.

VOLUMEN PRIUS.

CONTINET PROLEGOMENA ET LEXIC. A—Ξ.



LEIDAE, E. J. BRILL.
1864.

P·A

5[000]

Coins

PROLEGOMENA.

Incredibile dictu est, post multiplicem doctorum virorum operam in antiquorum scriptorum voluminibus interpretandis positam, per tot annorum saecula studiis numquam intermissis sed certatim celebratis, quantum nostris hominibus sero natis supersit, non dico percipiendum et cognoscendum — nam quo plures studia huc conferent, eo laetior materies succrescet, quam doctrina complectimur, — sed de novo investigandum et melius constituendum. Quodsi eruditi viri qui summorum criticorum operam contemnunt, stupentes scilicet incrementa earum disciplinarum in quibus excolendis nostrae aetatis gloriam positam esse clamant, aut ipsi intelligere possent aut intelligentibus credere vellent, quantum nostra patrumque memoria in bonis literis vel melius explicatum sit vel nunc primum summo labore et industria indagatum sit, confiterentur grammaticos et criticos non desidiosam quaerere animi oblectationem in antiquitatis cognitione, sed sicut in aliis disciplinis summa laus est si quis nova protulerit, illos quoque lenta et docta investigatione multa patefecisse, quae miris illis et celebratis inventis quae in omnium ore sunt, ab nulla parte cedant nisi numero eorum qui cognoscere velint, quaeque saepissime in diverso argumento exemplo fuerint, quod homines imitarentur ob investigandi perfectam methodum cum iudicandi subtilitate conjunctam. Fingas tibi

Ruhnkenium, ut exemplo utar principis critici, qui ante hos septuaginta annos vita excessit; pauci qui eum videre potuerunt adhuc in vivis sunt et memini me aliquando audire Harlemi venerabilem senem, qui anno superiore aetate exacta diem obiit, narrantem quanta frequentia se praesente ille audiretur, qui omnium consensu tanquam pueris ceteris omnibus praestare videretur; ille igitur Ruhnkenius quem patres nostri, avi certe, cognoverunt, si illinc unde negant redire quemquam, adscenderet, sat scio admirabundus laudaret τῶν ἐπιγόνων sollertiam, qui plurima investigarunt, de quibus olim homines vix per somnium cogitabant. Et tamen, quod intelligentes iudices adsentiuntur, longe plurima manent vel perficienda vel retractanda; nullum caput est in antiquitatis cognitione perfectum et absolutum; superiorum industria de permultis rebus constat, nec sane dubia vel incerta sunt, quae principes critici inde ab Aristarcho susceperunt, sed plurima egent τοῦ διακοσμήσοντος. Exemplo mihi est historia Grammaticae Graecae. Ruhnkenius quem hanc ipsam ob causam modo laudabam, cum collega Valckenaerio, ille collectis veterum Grammaticorum reliquiis in Bibliotheca Parisina et editis doctissimis adnotationibus ad Timaeum et Hesychium, hic in acutis observationibus de Suida, Eustathio aliis, quas partim dedit in Theocriteis, partim in epistolis ad amicos, quibus nuper ditata est Bibliotheca Leidensis ex legato Luzacii viri Illustris, partim alibi publici iuris fecit: hi igitur duumviri haec studia condiderunt. Signum sublatum multi secuti sunt, omnium primus Joannes Piersonus, Valckenaerii discipulus. Habemus hodie veterum lexicorum editiones multo habiliores ad usum, habemus praestantes adnotationes ex Homeri Codice Veneto descriptas; anecdota quae Ruhnkenius primus collegerat, edidit Bekkerus; copiae Hesychii, Suidae, Magni Etymologi nunc multo commodius cognoscuntur; multa addiderunt alii olim inedita; habemus doctas et utiles disputationes de plerisque grammaticis et lexicographis, de Aristophane, de Aristarcho, de Didymo, de Hesychio, de aliis: verum licet tot tantisque subsidiis aucti simus, multum abest ut historia Grammaticae Graecae iam nunc scribi possit.

Qui studium Graecae linguae condiderunt, dico veteres Grammaticos Alexandrinos, eorum opera interciderunt; possumus

quodammodo de illorum meritis iudicium ferre, sed pendemus ab iis grammaticis, qui floruerunt diu postquam Alexandriae eruditio esse et celebrari desierat. Fuere tamen, quod lucro deputo, seri Graecorum nepotes homines tam nullius iudicii, ut ipsi nihil novi excogitare possent, sed sibi plauderent si aliorum opera aut excerpsissent aut ineptiis quibusdam distendissent. Erant qui laudem quaererent contrahendis quae sibi longiora viderentur; erant qui nihil omisisse videri vellent quae undecunque potuissent corradere; erant qui ex scholiis marginalibus in unum congestis lexica conficerent; erant qui lexicorum ope scholia conscriberent; multi erant qui aliena impune furarentur. Hinc veteribus caremus Aristophane, Aristarcho, Didymo, aliis, sed habemus multa quae ex illorum operibus fluxerunt. Principem locum inter grammaticos tenent Hesychius, Suidas, Magnus Etymologus, Eustathius; his adduntur multi alii quos minores grammaticos dixeris, non adeo ob doctrinae inopiam, nam non agitur de scriptorum ipsorum praestantia, sed de praestantia fontium quibus usi sunt, verum quia opera minus prolixa sunt, Harpocration, Phrynichus, Moeris, Timaeus, Lexicographi Bekkeri, alii. Medium locum tenet Photius. Jam, ut in proverbio est, si duo dicunt idem, non est idem: quid Photius dicat vel Hesychius nemo sanus curat: multum curamus quid veteres et probi grammatici dixerint. Sequiores ne intelligi quidem possunt quid dicant, nisi fontium exploratio praecesserit. Photius, ut hoc utar, saepe adnotat Atticos hoc vel illud vocabulum usurpasse in cuius vicem aequales utantur alio: utilis observatio est, modo sciamus *quando* hoc dictum sit; crassus error est ipsi Photio obtrudere, qui alia exscribit aliquot saeculis ante composita, tum ad promovendam Atticae dialecti intelligentiam, tum ad emendandam Graeculorum vitiosam loquelam. Itaque ut aliquando melius perspiciatur historia linguae Graecae, ante omnia necessarium est ut sciamus quis singularum observationum auctor sit et quando vixerit. Nihil credemus cuiquam sine teste, sed qui repertus erit saepe et turpiter errare, difficulter fidem inveniet; contra qui bene et acute observare solet, subinde videbitur verum dixisse, etiamsi monumentorum penuria factum sit ut aliunde scire nequeamus utrum vere doceat nec ne. Hanc

viam si firmiter insecuti erimus, non tantum proficiemus ad historiam Grammaticae melius intelligendam, sed etiam ad veteres scriptores emendandos, nam horum potissimum causa non dedignamur sequioribus uti. Ex hoc studio colligemus quid a librariis non fortuito sed consulto mutatum sit, si didicerimus quae vocabula vocabulorumque formae apud Graeculos in usu esse desierint, in quorum locum novicia vocabula et formae saepissime irrepserunt. Sed omnem hanc lexicographorum quasi cognationem plurimi tractare aggressi sunt, omnium novissimus M. Schmidtius editis et aliis utilissimis libris et nuper Quaestionibus Hesychianis [1]); neque tamen ut opinor, res eo iam deducta est, singulorum lexicographorum fontibus nondum exploratis, ut historia critica pertexi possit; qui adumbrare voluerit, fortasse poterit. Equidem Photii lexicon selegi, quo in Grammaticorum studio omnia referrem; rectene fecerim nec ne, lectoris est iudicium.

§ 1.

De Photii Codice Galeano.

Photii Patriarchae λέξεων συναγωγή servata est in unico codice qui Thomae Galei fuit, unde Galeanus vocari solet. Ex hoc codice antiquo quidem sed negligenter scripto, fluxit quidquid ubique inveniatur librorum. Praemittam illius codicis accuratam descriptionem quam debemus Dobraeo.

Codex Galeanus membranaceus est eiusdem fere magnitudinis atque Euripides Musgravii, foliorum 149, paginis singulis in binas columnas quas vocant, distributis. Scriptus, iudice Porsono, circa annum 1200, credo quia in summa pagina prima invenerat: Χριστῷ τὸ δῶρον ἐκ Νικήτα τοῦ λύχνου ϛψζ', id est 6707 sive A. C. 1199. Multa deesse patet, in quibus aestimandis certi aliquid praestant literae numerales quibus signabantur in ima margine octona quaeque folia. Istarum literarum pleraeque a bibliopegis abscissae sunt; supersunt

1) Vidi usque ad pag. 184.

fol. 17 IF
25 IZ
101 KZ
117 KΘ
133 ΛA.

et vestigia ff. 45, 53, 85. Teneamus igitur inter fol. 1 et fol. 17 intercidisse folia centum et quatuor, inter fol. 25 et fol. 101 quatuor. Lacunae Porsono ita distribuendae videntur:

Post f.	1	inter vv.	ἀᾶσαι	et ἀγχίνοια	foliorum	4
»	2	»	»	ἀδιάκριτος et ἐπώνυμοι	»	100
»	42	»	»	κοικύλλειν et κρατηρίζων	»	4
»	148	»	»	Φορητῶς et ψιλεύς	fere	8
In fine					»	3.

Deest praeterea folium inter εὔριζον et εὔωνον. Periit igitur prope dimidium lexici.

In scribendo libro versatae sunt octo manus, quarum una et altera pulcherrime, omnes accurate et sibi constanter, quum literas tum compendia notissima plerumque formare solent. Si excipias primam paginam et verbum hic ibi vetustate corruptum, nihil est in prima scriptura quod mediocriter doctum adolescentem qui hoc serio agat, magnopere moretur. Sed negotium facessunt correctores qui textum saepissime, adhibito interdum scalpello, refingunt.

Primus igitur scriba sit A.

Secundus sive	B	incipit fol. 3	ἐπώνυμοι
	C	25	ἱππία Ἀθηνᾶ
	D	53	λεγωνῆσαι
	E 1	69	col. 3 μυχόπεδον
	F	70	Μουνυχιών
	E 2	85	ὁμοῦ
	G 1	93	πάππος
	E 3	101	περισο
	G 2	102	c. 3 πλάκα
	H	117	σιώκολλος.

Ex his E G compendiis saepe utuntur, A B D F H raro, C rarissime. F lenem, asperum, circumflexum saepe in medium punctum contrahit. Negligentiores sunt C H in accentibus et

spiritibus quos saepe emendat aut supplet manus antiqua. Haec igitur Dobraeus.

Qui primus inter viros doctos Photium cognovisse videtur, Iosephus Scaliger est, qui in epistola ad Ricardum Thomsonum, quam Blomfieldus indicavit, sic scribit: »Remitto tibi nunc Photium tuum, optimum sane librum, et quem edi e re literaria est; quamquam omnia quae in illo sunt, hodie in aliis, unde ipse hausit, exstant. Quia tamen laborem legentium levare possit, quod in eo omnia congesta sunt, quae sparsim in aliis relegere labor est, non exiguam a studiosis gratiam iniveris, si tam utilem librum in publicum exire patiaris." Sed Thomsoni consilium effectu caruit; qui primus post eum Photium versavit, quantum scio, Albertus est, qui ex apographo vitioso quo solo utebatur, catalogum concinnavit scriptorum a Photio laudatorum et multa ex eo protulit in adnotationibus ad Hesychium. Tandem anno huius saeculi octavo Photii lexicon edidit Godofredus Hermannus, neque tamen hic Cantabrigiensi libro usus est, sed duobus apographis. Carpit Hermannum non immerito Blomfieldus in docta relatione, quam inseruit diario *Edinburgh Review* XLII. 1813. Hic primus multa utiliter monuit de fontibus Photii estque eius iudicium lectu dignissimum. Non fecit operae pretium Schleusnerus qui brevi postquam Hermanni editio prodierat, duos libellos Animadversionum conscripserat; verissima sunt quae Scholefieldus ex Dobraei Adversariis de eo protulit. Sed cum Hermannus inanem operam Photio navaret, Porsonus iam apographum confecerat Galeani Codicis accurate et nitide de more perscriptum; quod quum incendium absumsisset, quo multa alia praeclara Porsoni interiere, pertinaci cura alterum confecit, sed cum edere vellet mors intervenit. Hoc exemplar nactus Dobraeus, omnia quam accuratissime cum codice contulit, bis terve eodem rediit, omnia bona mala maxima minima sedulo et perite enotavit, praeeunte Porsono quaedam correxit, sed hoc imprimis egit ut ipsius codicis lectiones unusquisque considerare posset. Prodiit tandem huius saeculi anno 22 Dobraei editio, quae princeps habenda est, sequenti anno Lipsiae repetita, cui ad calcem praeter fragmentum lexici rhetorici adscriptum marginibus Harpocrationis Codicis Cantabrigiensis et Catalogum Alberti a

Porsono interpolatum, accessit denique Blomfieldi relatio.

Qui post Dobraeum de emendando Photio scripserunt cum alii sunt tum duumviri Dindorfius et Cobetus, ille in animadversionibus quas in gaza Henrici Stephani abscondidit magis quam protulit, hic in Mnemosyne. Horum observatis sic utar ut nomen adscribam quotiescunque emendatio talis est, qualem a summo critico exspectamus; ipsi non postulabunt ut identidem testes vocentur confirmandis correctionibus, quas unusquisque quamquam leviter doctus excogitare potuerat, cum praesertim e collatione caeterorum lexicographorum, quod industriae negotium est, non doctrinae neque ingenii, quid verum sit, sponte apparet.

Unicam rem addendam habeo iis quae Dobraeus de Codice Galeano sive Cantabrigiensi (*Trinity college*) disputavit, scilicet codicem in Graecia ipsa ab nescio quo usurpatum fuisse. Quatuor sunt huius rei indicia. Ad glossam Λήλαντον πεδίον addit manus recens τὸ νῦν λεγόμενον νείλαντον. Tum ad vocem Λήμνιον πῦρ itidem manus recens adscribit: σημαίνει ὅτι καὶ ἐν τῇ νήσῳ Λήμνῳ ἀναφορὰ πυρός ἐσιν, ὡς καὶ ἐν τῇ Σικελίᾳ τὸ Αἰτναῖον. Deinde in glossa λουτροφόρος ex Harpocrationis Epitome descripta leguntur in fine verba: τῆς νῦν μὲν Ἐννεακρούνου καλουμένης κρήνης πρότερον δὲ Καλλιρρόης· adscripsit manus recens ἀλλὰ καὶ νῦν αὕτη Καλλιρρόη καλεῖται. Denique ad glossam ὑπὸ μάλης addit manus recens: ἀλλὰ τοῦτο τὸ ῥῆμα χρῶνται Ναύπλιοι (π in Cod. evanuit) καθόλου μάλην λέγοντες ἀλλ' οὐ μασχάλην ἢ μασχάλας.

Qui palaeographiae periti sunt, aliquando expedient signum $\lambda^{\tau}_{\circ}$, quod quinquies in Codice legitur adscriptum in margine ad glossas καινόφιλον, κενοφροσύνη, κεσόν et κηραίνει bis. Ceterum quando in Codice accentus et spiritus male notantur, non anxie adscribam; satis est in principe Editione omne hoc singulari diligentia praestitisse Dobraeum.

Continentur Photii lexico praeter glossas adventicias, excerpta e lexicis rhetoricis Aelii Dionysii et Pausaniae, Epitome quae dicitur Harpocrationis, Boethi utrumque lexicon Platonicum, Timaeus, denique glossae homericae et aliquot glossae sacrae. Hoc mihi videbar primus observasse et probavi Cobeto; postea vidi, admonitus praesertim a M. Schmidtio, diu ante me idem

iam vidisse Ritschelium et Meinekium. Minime miror, nam res manifesta est; quae tamen ut plene cognoscatur, paulo altius repetenda est.

§ 2.

De Didymo.

Quod infra ostendam Aelium Dionysium et Pausaniam usos fuisse Diogeniano, facit ut necesse sit quaedam de Didymo praemittere et experiri ecquid Photius afferat ad Chalcenteri memoriam instaurandam. Qua in re utar subsidiis quae M. Schmidtius congessit in docto libro de Didymo, cuius ductu profiteor me multum profecisse ad veteres grammaticos rectius tractandos. Sed statim ab initio quaedam indicanda sunt, in quibus a doctissimo editore dissentio. Non urgeo non esse satis quod dicat de Photii lexico, nam aliud sibi argumentum elegerat et ipsi hanc causam suscepimus ut videremus quid praestare possemus; verum non tantum eum latuit Aelium Dionysium et Pausaniam usurpasse Diogenianum, sed ne hoc quidem pervidit Boethum usurpasse Pamphilum et Aelium Dionysium. Verum de Boetho post videbimus et argumentis stabilire conabor id quod nunc nude posui; remanet autem alia quaestio de qua, etiamsi nihil praeter conjecturam proferre possim, non tamen reticebo quid mihi videatur admodum verisimile.

Multi multa scripsere de illo loco in Hesychii Epistola ad Eulogium: *οἱ δὲ τὰς κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς τραγικὰς ὡς Θέων καὶ Δίδυμος*. Quaesitum fuit utrum Theon condidisset comicum lexicon Didymus tragicum, an uterque scripsisset utrumque. Fuere quoque qui putarent Didymum usum fuisse Theonis auxilio; sed Schmidtius, quantum video, nusquam explicite pronunciat quid sibi videatur. Verum hoc rectissime disputat, Didymum *ὑπομνήματα* scripsisse in Eupolin atque Cratinum Aristophanemque poetam aliosque multos tum tragicos tum comicos. Etiam hoc concedendum est, quod firmissimis argumentis evincitur, *Lexica* comicum et tragicum ex istis Didymi *Commentariis* fuisse composita, qua de re est observatio Schmidtii imprimis acuta p. 93. Si autem Schmidtium rogas

a quo hoc factum sit, respondebit a Didymo ipso, cuius nomine λέξεις κωμικὰς καὶ τραγικὰς saepius laudatas invenimus. Concedo vetustos iam grammaticos λέξεις composuisse et exemplum habemus ipsius Aristophanis Byzantii, quem Didymus adhibuit in Symposiacis componendis, cuius libri epitomen ab Alexione factam grammatici qui post venerunt, usurparunt; sed Aristophanes rara et exquisita vocabula non disposuerat secundum litterarum ordinem sed congesserat ea quae idem argumentum spectarent; quam rationem servavit Pollux in Onomastico. Verum aegre adducar ut credam Didymum ipsum condidisse lexicon quacunque tandem ratione institutum, quia in Commentariis quorum consilium satis perspici potest ex reliquiis quas Schmidtius composuit, multa disputabantur ad eam normam quam lexico haud commode complecti possis. Neque solebant grammatici ipsi suorum ipsorum operum quasi epitomen conficere; huic negotio alii inhiabant prope dixerim, quibus ingenii monumenta res nullius videbantur esse. Et quis umquam inspexisset Didymi Commentarios quamvis locupletes, si ipse omnia redegisset in formam lexici? Videturne denique credibile quod Schmidtius ponit p. 272: »Didymus hypomnemata illa ita, lexica cum elucubraretur, excussit, ut semet ipsum quasi compilasse videretur." Mihi certe neutiquam videtur. Visne scire quid coniiciam? Recte Schmidtius disputavit lexica comicum et tragicum e Didymi Commentariis fluxisse; verum hoc non ipsius Didymi opera factum est sed Theonis qui, quum aut nihil aut parum de suo addidisset, multa resecuisset, opus non suo nomine edidit sed Didymi, sive ut mendaci titulo commendationem quaereret, sive veterem morem secutus, quem Diogenianus quoque secutus est cum opus inscriberet Epitomen Vestini ut infra videbimus. Fuerit igitur titulus Θέωνος λέξις κωμικὴ κατὰ Δίδυμον, quae σύμμικτος nonnumquam dicitur, opinor quia Theon congesserat in unum varios commentariorum libros quos Didymus in comicos poetas scripserat. Eadem ratione Theon confecit, nam necessario eo ducimur, τραγικὴν λέξιν· sed si quid tribui debet laceris reliquiis immensi operis, haec fuit multo minoris ambitus quam illa fuit et Didymus imprimis dilexerat comicos poetas. Hinc quoque illud repetendum est parum innotuisse nobis de Aristarcho Tragicorum poetarum

interprete, qui tamen in his explicandis non minus studium posuit quam in Poeta recensendo, ita ut ἀποσηθίσαι diceretur πᾶσαν τὴν τραγῳδίαν et Dionysius Thrax, cum eius imaginem pingeret, horum potissimum studiorum lepido invento gloriam extolleret. Nos autem Aristarchum fere unice novimus ex studiis Homericis, opinor quia Didymus parcius laudarat, cf. M. Schm. p. 262. Didymum adhibuisse Aristarchi commentarios, vide ap. Harp. v. ὀξυθύμια et Phot. v. κρέας coll. c. Schol. Arist. Ran. 191.

Hac praesertim ratione quam dixi, mihi explicare soleo cur Hesychius in Epistola rectissime laudare potuerit Theonis et Didymi operam et tamen Theonis nomen non appareat apud eos scriptores qui sua e Pamphilo habent, etiamsi Didymi ratio sat saepe nominatim habeatur. Nunc hoc quoque intelligimus quid sit Θέων καὶ Δίδυμος, quod usus observatione verissima M. Schmidtii ipsius, hic stabiliam. Photius v. ῥόμβος interpretatus in fine addit οὕτως Εὔπολις· Schol. autem Apoll. Rhod. α. 1138 qui paulo plenior est: Ἄλλοι δὲ ῥύμβον καλοῦσιν ὡς Εὔπολις ἐν Βάπταις καὶ Δίδυμος. Vides quid hoc sit: Didymus confirmat scripturam ῥύμβον testimonio Eupolidis: Εὔπολις καὶ Δίδυμος h. e. Eupolis apud Didymum. Sic Θέων καὶ Δίδυμος significat: Theo secutus Didymum, Theo qui utitur testimonio Didymi, Didymus apud Theonem. Est haec loquendi ratio fere perpetua apud Grammaticos. Sed intelligo quid contradicas: Hesychium dicere debuisse inverso ordine Δίδυμος καὶ Θέων. Immo perinde est quoquomodo dicas. Habes apud Athen. XI. 487 C: Δίδυμος καὶ Πάμφιλος· at Schol. Arist. Av. 58: Σύμμαχος καὶ Δίδυμος: uterque tamen Pamphilus et Symmachus Didymo iuniores sunt. Schol. Arist. Lysistr. 313: Δίδυμος καὶ Κράτερος· Didymus tamen usurpavit Craterum, non contra. In Etym. Gud. 73. 28: Δίδυμος καὶ Τρύφων, sed in Etym. M. 148. 8: Ἡρωδιανὸς καὶ Δίδυμος· Didymus tamen est utroque antiquior. Imprimis luculentum exemplum est petitum e Stephano Byz. laudato a Schmidtio p. 352 ubi tum Διόδωρος καὶ Δίδυμος legitur, tum Δίδυμος καὶ Διόδωρος, ut intelligas nihil interesse utrius nomen prius ponatur. Caetera de Theonis lexicis tempus invidit; semel ni fallor laudatur a Phrynicho in Ecloga, semel ab Hesychio v. σκίταλοι; quae praeterea de eius

studiis constant vide apud Wartonum in Notitia Schol. Theocrit. et Bussemakerum in Praef. Schol. Nicandri.

Sed ut intelligatur quam docte et copiose Didymus disputare solitus fuerit, nam periculum est ne quis eius operam similem fuisse putet, vel potius imprudens non recordetur dissimilem fuisse, excerptis non dico Hesychii vel Diogeniani, sed etiam sat lautis dapibus Pamphili, quibus in hac literarum clade multum gauderemus si uti possemus, nam docta sane excerpta sunt quae Athenaeus servavit: ut igitur intelligatur qualis fuerit Didymus in vocabulorum interpretatione, non teneo me quin adscribam fragmentum in suo genere unicum nempe Didymi ipsius illibati, integri, nondum contracti, quod Macrobius servavit Saturn. V. 18, h. e. is apud quem minime quaesiveris. Desumtum est e lexico tragico, h. e. credite posteri, e lexico minore. Πηλίκον igitur maius lexicon fuisse putas? Nempe eius qui reliquit librorum tria millia quingentos.

Haec igitur e Macrobio transscripsit Schmidtius p. 84: Cur autem sic loqui soliti sint Ephorus notissimus scriptor historiarum libro secundo ostendit his verbis: *τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ποταμοῖς οἱ πλησιόχωροι μόνον θύουσι· τὸν δὲ Ἀχελῷον μόνον ἅπαντας ἀνθρώπους συμβέβηκε τιμᾶν οὐ τοῖς κοινοῖς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν ἰδίων, τοῦ Ἀχελῴου τὴν ἰδίαν ἐπωνυμίαν ἐπὶ τὸ κοινὸν μεταφέροντας. Τὸ μὲν γὰρ ὕδωρ ὅλως ὅπερ ἐςὶ κοινὸν ὄνομα, ἀπὸ τῆς ἰδίας ἐκείνου προσηγορίας Ἀχελῷον καλοῦμεν, τῶν δ' ἄλλων ὀνομάτων τὰ κοινὰ πολλάκις ἀντὶ τῶν ἰδίων ὀνομάζομεν, τοὺς μὲν Ἀθηναίους Ἕλληνας, τοὺς δὲ Λακεδαιμονίους Πελοποννησίους ἀποκαλοῦντες. Τούτου δὲ τοῦ ἀπορήματος οὐδὲν ἔχομεν αἰτιώτατον εἰπεῖν ἢ τοὺς ἐκ Δωδώνης χρησμούς. Σχεδὸν γὰρ ἐφ' ἅπασιν αὐτοῖς προσάγειν* (corrigam *προστάττειν*) *ὁ θεὸς εἴωθε Ἀχελῴῳ θύειν, ὥςε πολλοὶ νομίζοντες οὐ τὸν ποταμὸν τὸν δι' Ἀκαρνανίας ῥέοντα, ἀλλὰ τὸ σύνολον ὕδωρ Ἀχελῷον ὑπὸ τοῦ χρησμοῦ καλεῖσθαι, ἰδιοῦνται τὰς τοῦ θεοῦ προσηγορίας. Σημεῖον δὲ, ὅτι πρὸς τὸ θεῖον ἀναφέροντες οὕτω λέγειν εἰώθαμεν· μάλιςα γὰρ τὸ ὕδωρ Ἀχελῷον προσαγορεύομεν ἐν τοῖς ὅρκοις καὶ ἐν ταῖς θυσίαις, ἅπερ πάντα περὶ τοὺς θεούς.* Potestne dilucidius ostendi Acheloum a Graecis veteribus pro quacumque aqua dici solitum? Unde doctissime Virgilius ait vinum Acheloo Liberum patrem miscuisse. Ad quam rem satis testium est, cum Aristophanis

comici et Ephori historici verba prodiderimus, tamen ultra progrediemur. *Didymus* enim grammaticorum facile eruditissimus, posita causa quam superius Ephorus dixit, alteram quoque adjecit his verbis: *ἄμεινον δὲ ἐκεῖνο λέγειν, ὅτι διὰ τὸ πάντων ποταμῶν πρεσβύτατον εἶναι Ἀχελῷον τιμὴν ἀπονέμοντας αὐτῷ τοὺς ἀνθρώπους πάντα ἁπλῶς τὰ νάματα τῷ ἐκείνου ὀνόματι προσαγορεύειν· ὁ γοῦν Ἀγησίλαος* (corrigunt *Ἀκουσίλαος*) *διὰ τῆς πρώτης ἱσορίας δεδήλωκεν, ὅτι Ἀχελῷος πάντων τῶν ποταμῶν πρεσβύτατος· ἔφη δέ· Ὠκεανὸς δὲ γαμεῖ Τηθὺν ἑαυτοῦ ἀδελφήν· τῶν δὲ γίγνονται τρισχίλιοι ποταμοί, Ἀχελῷος δὲ αὐτῶν πρεσβύτατος* (add. *ὃς*) *καὶ τετίμηται μάλισα.* Licet abunde ista sufficiant ad probationem moris antiqui, quo ita loquendi usus fuit, ut Achelous commune omnis aquae nomen haberetur, tamen his quoque et Euripidis nobilissimi tragoediarum scriptoris, addetur auctoritas, quam idem Didymus grammaticus in his libris quos *τραγῳδουμένης λέξεως* scripsit posuit his verbis: *Ἀχελῷον πᾶν ὕδωρ Εὐριπίδης φησὶν ἐν Ὑψιπύλῃ, λέγων μὲν περὶ ὕδατος ὄντος σφόδρα πόρρω τῆς Ἀκαρνανίας, ἐν ᾗ ἐσι ποταμὸς Ἀχελῷός, φησι· δείξω μὲν ἀργέννοισιν* (An *Ἀργείοισιν*) *Ἀχελῴου ῥόον.*".

Haec Macrobius, quibuscum confer quae sola apud Hesychium supersunt: *Ἀχελῷος ποταμὸς Ἀρκαδίας* (lege *Ἀκαρνανίας*) *καὶ πᾶν ὕδωρ οὕτως λέγεται.*

Illam utilitatem percipere poteris e fragmentorum Didymi dispositione, ut plenius intelligas ex reliquiis quantumvis laceris et mutilis, quantam doctrinam et industriam *χαλκέντερος* ille ad scriptionem attulerit. Nam praeter poetas quos sumserat interpretandos, quorum fragmenta eius solius diligentiae debemus, Cratinum dico Eupolin, Ionem, alios multos, attulit quoque studium historiarum scriptorum et quidquid hodie superest e Philochoro, Androtione, Istro, Polemone, Mnasea, compluribus aliis — sed satis est praecipuos nominare —, hoc Didymo nos debere suspicor. Eam autem rationem sequebatur in poetis interpretandis ut apponeret quid docti qui fuissent ante se disputassent, imprimis Eratosthenes qui plerumque impugnabat Lycophronis doctrinam, Aristophanes, Aristarchus; deinde relatis horum sententiis iudicium interponeret, vide Athen. XI. 501 D de quo loco Schmidtius dixit p. 42, alios locos multos.

Sed percensebimus quid ad hanc quaestionem Photius afferat.

Si excipias Harpocrationis epitomen, de qua separatim dicam, Didymus haud ita saepe a Photio iubetur testimonium dicere: loci sunt omnino sex: *ἡμερόκαλλες*, *Κυψελιδῶν ἀνάθημα*, *οἰνόπται*, *ῥάχετον*, *σέρφοι*, *τευτάζειν*. Videamus de singulis. Primam glossam *ἡμερόκαλλες* fluxisse e Didymi commentario in Cratini *Μαλθακούς*, ostendet Athen. XV. 681 E 685 D, sed certiora proferre liceret si mihi constaret quis fuerit Theodorus ille *παναγὴς* qui *περὶ τοῦ τῶν κηρύκων γένους* scripsit. Fieri potest ut idem ille Theodorus sit cuius *γλώσσας* Pamphilus versaverit, sed nihil affirmo. Hoc video adnotationem e Diogeniano fluxisse in lexica rhetorica quibus Photius utebatur, sed hac de re infra.

Sequitur glossa *οἰνόπται* quae duplex est ut plurimae aliae apud Photium. Recte intellexit M. Schmidtius Eupolidem respici, coll. Athen. X. 425 B. Incerta est origo glossae *ῥάχετον* quae *ῥάχετρον* scribenda est, sed vocabulum *σέρφοι* nullus dubito quin e comoedia sit; vide poetarum locos apud M. Schmidt. p. 37.

Alia est ratio duarum glossarum quae restant *Κυψελιδῶν ἀνάθημα* et *τευτάζειν*, quae manifesto Platonicae sunt, h. e. a Boetho e Pamphilo excerptae. Ad eas redibo cum de Boetho sermo erit, nunc hoc unum notabo Theophrastum laudari in priore adnotatione, h. e. eum scriptorem quem Didymus diligenter tractare solet, cf. Hesych. v. *Σισύμβριον*, Schol. Apoll. Rhod. *α*. 972 de v. *ἴουλος*, Hes, v. *κύναρος* coll. Athen. II. 70 C, Schol. Pind. Olymp. XIII. 27. In altera glossa laudantur Heracleo et Artemidorus quos a Pamphilo novimus in thesaurum receptos esse, et Lycophron, qui praecipue advertit. Nempe constat afferri fide Didymi: vidimus supra quid sit quod Boethus dicat *Λυκόφρων καὶ Δίδυμος*· sed nondum explorare potui utrum Didymus ipse Lycophronem triverit an tantum ea cognoverit quae Eratosthenes contra eum disputasset. Hoc video Lycophronem plerumque, in iis certe glossis quae paullo plenius servatae sunt, ita laudari ut Eratosthenis sententia ei opponatur. Vide apud M. Schmidtium locos ex Athenaeo et Hesychio excerptos; addemus quod Photius affert.

Nempe Lycophron excepta glossa *τευτάζειν* bis a Photio laudatur vv. *σακίζειν* et *σεσέλισται*, de quibus locis satis est lecto-

res ablegare ad Schmidtium p. 50 sq. Paulo saepius offendimus Eratosthenem v. *εὐθὺ Λυκείου, ἦα, ποῖ, σάμακα, ἦ δ' ὅς, εὐκλεία.* Inter has duae glossae Platonicae sunt: *εὐθὺ Λυκείου* et *ἦ δ' ὅς*, in quibus Boethus Pamphili vestigia legit ut dixi. Quod notatur *εὐκλεία* penultima longa ex Aelio Dionysio est, sicut Eustathius ostendit et fluxit adeo e Diogeniano. Glossam *ἦα* itidem e rhetoricis lexicis Photius accepit, quod monstrat Eustathius qui praeterea affert Pherecratis versiculum *τὴν γαςέρ' ἤων κἀχύρων σεσαγμένους.* De ceteris glossis difficile est pronunciare, sed hoc tamen constare arbitror e consensu partim Hesychii partim Herodiani, Eratosthenica ubique Didymi industria servata esse. Sunt praeterea in Photio plura Eratosthenis non nominati. Afferam unum exemplum. Triplex glossa est apud Photium *ἴουλος· ὁ ἐν τοῖς ἀμπέλοις σκώληξ· πολύπουν δέ τι ζῷον καὶ τὸ ἐξάνθημα τὸ ἐπὶ τῶν γενείων· καὶ τὸ ἐπὶ ταῖς καρύαις ἄνθος· καὶ ᾠδῆς τι γένος ἴουλος· καὶ ὁ προσφιλὴς τῇ Ἀρτέμιδι· ἔνιοι δὲ καὶ τὸν ἐπὶ ταῖς ὑδρίαις γιγνόμενον πολύποδα καὶ συρεφόμενον ἴουλον καλοῦσιν.*

ἴουλος· τὸ δασὺ ἐπίσειον τῶν γενείων· καὶ ᾠδὴ εἰς Δήμητρα· τοὺς γὰρ ἐκ πολλῶν δραγμάτων δεσμοὺς ἰούλους καλοῦσι.

ἴουλος· χνοῦς τριχῶν ἤτοι ἡ πρώτη τῶν γενείων βλάστη.

Tantum non omnia e Didymo fluxerunt; vide Schol. Apoll. Rhod. α 972: *ἴουλοι δὲ καλοῦνται ἡ πρώτη ἐξάνθησις καὶ ἔκφυσις τῶν ἐν τῷ γενείῳ τριχῶν· ὁ μέντοι Ἐρατοσθένης ὄνομα ᾠδῆς ἐρίθων ἀπέδωκεν ἐν τῷ Ἑρμῇ λέγων οὕτω·*

ἣν χερνῆτις ἔριθος ἐφ' ὑψηλοῦ πετεῶνος
δενδαλίδας τεύχουσα καλοὺς ἤειδεν ἰούλους.

οὐκ ἔςι δέ, φησι Δίδυμος, ἀλλ' ὕμνος εἰς Δήμητρα ὡς ὁ οὔπιγγος παρὰ Τροιζηνίοις εἰς Ἄρτεμιν· ἔςι γὰρ οὖλος καὶ ἴουλος ἡ ἐκ τῶν δραγμάτων συναγομένη δέσμη, καὶ Οὐλὼ ἡ Δημήτηρ· λέγεται δὲ ἴουλος καὶ ζῷόν τι, θηρίδιον πολύπουν· ἑκατέρωθεν γὰρ ἔχει πολλοὺς πόδας, ὥσπερ ἡ σκολόπενδρα. Θεόφραςος δὲ ἐν τῇ πρὸς Φανίαν ἐπιςολῇ καὶ ὄνον φησὶν αὐτὸν καλεῖσθαι, ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Κωφοῖς Σατύροις· κυλισθεὶς ὥς τις ὄνος ἰσόσπριος. Ecquis dubitabit Photium servasse excerpta e tribus lexicis rhetoricis; haec autem e Didymo profecisse qui Eratosthenis doctrinam impugnarat? Similia atque Photius Hesychius habet. Hoc dubito quid sit *καὶ ὁ προσφιλὴς τῇ Ἀρτεμίδι.*

Itidem pér Didymum servata est mentio Aristarchi, quem supra dixi caeteros quoque poetas attigisse. De glossa ἦ δ' ὅς quae est Platonica, iam diximus. Sequuntur glossae λαβέ, μυσικάρφης, quae vel sola observatio monstrare posset Aristarchum comicos poetas attigisse, si res dubia esset; ὄνου πόκαι quod quia proverbium dicitur, fortasse praestat Aristophanis nomen reponere; σησαμῆν, ταχυβάμονας ὅρκους, quam nisi Hesychii consensus demonstraret unde desumta sit, satis esset illud βέλτιον δέ . . . . quod apud M. Schmidtium videbis Didymo proprium fuisse in refellenda aliorum doctrina. Sed longe maximi momenti ad nostram quaestionem est glossa Πράμνειος οἶνος, Platonica nempe Boethi qui sic adnotarat ad Ion. 538. C. Ἀρίσαρχος ἐπιμελῶς τὸν ἡδὺν οἶνον Πράμνειον ἔλεγεν· τινὲς τὸν ὤνιον οἶνον ἢ παραμόνιον (vides etymologiam)· τινὲς ἀπὸ ἀμπέλου Πραμνείας ὀνομαζομένης· οἱ δὲ ἰδίως τὸν μέλανα· ἔνιοι τὸν πραΰνοντα τὸ μένος. Σῆμος ὁ Δήλιος ἐν τρίτῳ ἔφη καὶ Πράμνον πέτραν εἶναι (Cod. ἐν ᾗ καὶ ὁ πράγμων πέτραν), ἀφ' ἧς τὸν οἶνον εἶναι. Haec quidem Boethum e Pamphilo excerpsisse, non dubitabis inspecto Athenaeo I. p. 30, qui laudato Semi Delii loco sic pergit: Δίδυμος δὲ Πράμνειόν φησιν οἶνον ἀπὸ Πραμνείας ἀμπέλου οὕτω καλουμένης· οἱ δὲ ἰδίως τὸν μέλανα· ἔνιοι δὲ ἐν τῷ καθόλου τὸν πρὸς παραμονὴν ἐπιτήδειον οἱονεὶ παραμόνιον ὄντα· οἱ δὲ τὸν πραΰνοντα τὸ μένος, ἐπεὶ οἱ πιόντες προσηνεῖς. Nunc quidem res manifesta est, cf. Schol. Plat. Ion. 538 C.

In sexto lexico Bekkeri quo multa continentur Aelii Dionysii et Pausaniae fragmenta Didymus quater laudatur. Primus locus est p. 349. 3 in v. ἀηδόνα ubi τραγικοὶ advocantur et intelligitur Euripides ut constat ex Hesychio. Itidem e tragico lexico desumta est annotatio p. 374. 22 de voce ἀλάςωρ, cf. Schmidt. p. 82. 401. P. 380. 20 adnotatio est de verbo ἀλύειν scribendo non ἀλύειν· hanc quoque e lexico tragico desumtam esse ostendet Schol. Soph. El. 135. Fere eadem tradit Eustathius p. 1636. 26, e lexico Dionysii ni omnia fallunt. Sed vide quam egregie alter alterum suppleat; et operae pretium foret locos ipsos adscribere. Quartus locus est de vocabulo ἄφλαςα p. 471. 19, qui e Pausania descriptus est, ut videbis coll. Eust. p. 1039. 37. Addam p. 384. 24 Ἀλκαία ἡ οὐρὰ τοῦ ζῴου, κυρίως δὲ τοῦ λέοντος ὅ ἐςι κυήθειν (Supple ἀπὸ τοῦ ἀλκεῖν ὅ ἐςι βοηθεῖν, cf.

mox et p. 383. 31)· ἔνιοι δὲ ἀλκαίαν διὰ τὸ εἰς ἀλκὴν παρορμᾶν, ἐπεὶ ὁ λέων ἰσχία τε καὶ πλευρὰς μασίζων τῇ οὐρᾷ εἰς μάχην ἑαυτὸν ἐποτρύνει· καὶ ταῦρος δὲ καὶ κύων καὶ ἄλλα ζῷα πολλὰ τῇ οὐρᾷ πρὸς ἀλκὴν κέχρηται. Φασὶ δὲ Ἕλληνες καὶ τὴν οὐρὰν εἰρῆσθαι παρὰ τὸ ὀρίνειν καὶ παρορμᾶν εἰς ἀλκήν. Compone cum his Schol. Apoll. Rhod. δ. 1614: ἀλκαία λέγεται ἡ τοῦ λέοντος οὐρὰ ἀπὸ τοῦ δι' αὐτῆς εἰς ἀλκὴν τρέπεσθαι· καὶ ὁ ποιητής·

οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν
μασίεται.

Καλλίμαχος δὲ κακῶς ἐπὶ τῶν μυῶν τέθεικεν »ἀλκαίας ἀΦύσσα.'' Ἢ ἀπὸ τοῦ ἀλκεῖν ὅ ἐσι βοηθεῖν, ἡ εἰς ἀλκὴν παρορμῶσα, ἢ παρὰ τὸ οὐρεῖν ὅ ἐσι Φυλάττειν· ἢ διὰ τὸ ὀρίνειν ἑαυτὰ τὰ ζῷα τῇ οὐρᾷ ὡς ὁ λέων καὶ ὁ ταῦρος καὶ ὁ κύων καὶ τὰ λοιπά. Κυρίως δὲ ἡ τοῦ λέοντος οὐρὰ ἀλκαία λέγεται· ἐν δὲ τῇ Κωμικῇ λέξει οὐ μόνον ἡ τοῦ λέοντος οὐρὰ ἀλκαία, ἀλλὰ καὶ ἵππου καὶ βοὸς καὶ τῶν ἐμΦερῶν, ὅσα ὥσπερ ἀλεξητηρίῳ τῇ οὐρᾷ χρῆται. Supersedeo plura addere in re tam facili quam perspicua.

Verum alia quaedam consideranda sunt quominus quidquam dubitationis de universa re apud lectores remaneat. Veluti confer Hesychium vv. Λιμοδωριεῖς, Μοσσυνικὰ μαζονομεῖα, οἰσπώτη, Σαμιακὸς τρόπος· videbis Didymum nominatim laudari. Jam inspice Photium; modo plura habet, modo pauciora sed ita ut facile intelligas utrumque fluxisse ex eodem. Et nunc ipse Schmidtius qua est harum rerum acerrima intelligentia primus concedet, spero certe, non satis recte disputata esse quae p. 38 de Photii glossarum origine protulit. Scilicet rhetorica lexica quae Photius et Eustathius usurpant, non magis ad oratorum quam Poetarum usum pertinent, nam nomen apud sequiores multo latius patet quam putaveris et ipse Athenaeus apud Eustathium ῥήτωρ audit.

Sed non est fortasse locus luculentior quam adnotatio de voce κύτταρος, quam nihil veritus ne disputatio longior evadat describam. Nusquam clarius apparere poterit, quanti sit grammaticos inter se conferre et πάντων ὁμοίως ἀκούειν.

Jocatur Mercurius apud Aristophanem in Vespis v. 199 Deos ἐξωκίσθαι et quidem πόρρω πάνυ ὑπ' αὐτὸν ἀτεχνῶς τοὐρανοῦ τὸν κύτταρον. Hoc quid sit nos quidem non latet sed latebat veteres grammaticos. Ad hunc locum et alia in Scholiis adscripta

invenies et haec, quae imprimis advertunt: Λυκόφρονά φησιν Ἐρατοσθένης τὸ κύτταρον λέγειν ἐν ᾧ αἱ φηγοὶ ἐγκάθηνται, οὐκ ὀρθῶς. κυττάρους γὰρ καλοῦσι τὰς τῶν κηρίων καὶ σφηκῶν (l. σφηκίων) κατατρήσεις, ὡς καὶ ἐν τοῖς Σφηξὶν εἴρηκεν· »ὥσπερ οἱ σκώληκες ἐν τοῖς κυττάροις κινούμενοι.'' Θεόφρασος δὲ (H. Pl. III. 3. 8) κυρίως λέγει προάνθησίν τινα τῆς πεύκης καὶ τῆς πίτυος, ἥτις ἐστὶν ὥσπερ σάχυς μικρὸς ἐκ μεγάλων πυρῶν· ξηραινόμενος δὲ θυλακοῦται καὶ ἀποπίπτει. Intellexerat igitur Lycophron cellulas glandium, apum Eratosthenes; Didymus ut opinor addidit Theophrasti locum, ubi κύτταρος ad nucem pineam refertur. Scilicet omne ἡμισφαίριον, parvum praesertim, quo continetur sive mel sive glans sive fructus quilibet κύτταρος dicitur, atque sic γελοίως πάνυ Mercurius cum dicere vellet Deos quam longissime profectos esse, iocatur eos aufugisse in coeli κύτταρον, quo continetur scilicet ne decidat. Locus eos vix capiebat, sicuti iudices in Vespis vs. 1111: οἱ δ' ἐν ᾠδείῳ δικάζουσ'· οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις

ξυμβεβυσμένοι πυκνὸν νεύοντες εἰς τὴν γῆν, μόλις
ὥσπερ οἱ σκώληκες ἐν τοῖς κυττάροις κινούμενοι.

Nunc nullo negotio intelliges tertium locum: Thesm. vs. 516 ubi τὸ πόσθιον dicitur σρεβλὸν ὥσπερ κύτταρον· glans enim et κύτταρος forma non differunt. Ad hunc locum Scholiasta: Θεόφρασος τὴν προάνθησίν φησι τῆς πίτυος καὶ τῆς πεύκης· Ἐρατοσθένης ἀγγεῖον τοῦ σφηκὸς ἢ τῆς μελίσσης, ὅπου οἱ σκώληκες ἔνεισιν, κτἑ. E Didymi Commentario haec in lexicon fluxere, cuius rei etiamnunc vestigia supersunt apud Hesychium v. κύπαρος et κύτταροι. Nunc vide apud Photium quadruplicem glossam, e quatuor opinor lexicis servatam. Prima est κύτταρος· ἡ τῆς βαλάνου πυελίς· ἢ τὸ προεξάνθημα τῆς ῥοιᾶς· ἢ ἡ ἐν τοῖς κηρίοις τῶν μελιττῶν πυελὶς καὶ κατάτρησις. Agnoscis Lycophronem, Theophrastum et Eratosthenem. Secunda nihil habet praeter hoc: κύτταροι· σφηκιαί. Tertia: κύτταροι· βόσρυχοι καὶ τὰ τῶν μελισσῶν ἀγγεῖα, utraque descripta e lexici rhetorici epitome de qua infra adnotabo. Quarta plenior est: κύτταρος· οἱ μὲν ἀπέδωκαν ἐν ᾧ αἱ σφηκιαὶ ἐγκάθηνται· μάχεται δ' αὐτοῖς τὸ τοῦ Ἀριστοφάνους ἐν Σφηξίν· ὥσπερ οἱ σκώληκες ἐν τοῖς κυττάροις κινούμενοι· ἔοικε δὲ ἐπὶ τῶν ἀγγειώδων τίθεσθαι· τοῦτο δὲ καὶ Ἀριστοτέλης ἀποδέδωκε (Hist. Anim. 5. 19. 22)· Θεόφρασος δὲ προάνθησίν τινα τῆς πεύκης καὶ τῆς πίτυος κύτταρον προσαγορεύει·

τοῦτο δέ ἐσιν ὥσπερ ὁ σάχυς μικρὸς ἐκ μεγάλων πυρήνων· ξηραινόμενος δὲ θυλακοῦται καὶ ἀποπίπτει. Haec ita scripta sensu vacua sunt, sed memor doctrinae Lycophronis certissima emendatione rescribe: ἐν ᾧ αἱ φηγοὶ ἐγκάθηνται pro σφηκιαί. Contra apud Scholiastam πυρήνων Photii malo quam πυρῶν.

Duo exempla in fine adscribam ut pateat quantae divitiae nobis perierint. Breves glossae sunt apud Photium λαβρώνιον et ὄξος ΣΦήττιον· sed compone Pamphili copias apud Athenaeum XI. 484. F. et II. 67. D.

§ 3.

De Diogeniano.

Nihil opus est repetere quae de vera origine et genuina forma Hesychii lexici recte disputaverunt Carolus Rankius et nuper Mauritius Schmidtius in Quaestionibus Hesychianis, sed lubet quaedam retractare, quorum causa cum Photio conjuncta est. Itaque primum dicam quid mihi de ea questione videatur, tum efficere conabor ut eadem aliis quoque probabilia videantur. Pamphilo igitur, de quo vide Urlichsium in Museo Rhenano XVI. 247, fuit μέγιστον πλεονέκτημα lexica comicum et tragicum Didymi vel si mavis Theonis. Praeterea in lexico condendo adhibuit Artemidorum, Hermonactem, Theodorum, alios multos quos Schmidtius recenset. Hoc Pamphili lexicon excerpsit Julius Vestinus, cuius rei tenuis fama ad nos pervenit. Sed Vestinum iterum ad breviorem formam redegit Diogenianus isque nobis in Hesychii lexico tantum non integer superest. Aelius autem Dionysius plura e Diogeniano in lexicon transtulit et Pausanias qui plurima habuit cum Dionysio communia necesse est in permultis convenerit cum Diogeniano. Sed neque his finibus res continetur, nam Boethus in Platonicis lexicis et alios usurpavit et constat ei ad manum fuisse Pamphilum et Dionysium, unde iam intelligitur quanti sit Platonicas glossas Photii quam accuratissime rimari, cum praesertim Hesychius Boethi lexica cum Diogeniani opibus commiscuerit. Sed de Boetho infra; nunc de Diogeniano videamus quid certa monumentorum fide afferri possit.

Ac primum intelligo plerosque miraturos esse id quod dixi Diogenianum Vestinum contraxisse, non Pamphilum. Scilicet mihi quidem nulla causa videtur, cur fidem denegem Scholiastae qui auctore Montefalconio in Diario Italico p. 214 margini Gregorii Nazianzeni adscripsit adnotatiunculam *περὶ σαθμῶν* et in fine addidit: *Ἐκ τῶν Διογενιανοῦ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Οὐσησίνου Ἑλληνικῶν ὀνομάτων.* Similia leguntur quoque in Schol. Hom. Iliad. *ε.* 576 sed ibi *Οὐσησίνου* nomen omittitur. Diu autem est, ex quo e collatione Suidae viri docti effecerunt pro barbaro nomine legendum esse *Οὐησίνου.* Memoria Lucii Julii Vestini, de quo vide Suidam, servata est inscriptione olim ad viam Ostiensem reperta, quam Bernhardyus mihi indicavit: *Ἀρχιερεῖ Ἀλεξανδρείας καὶ Αἰγύπτου πάσης Λευκίῳ Ἰουλίῳ Οὐησίνῳ καὶ ἐπισάτῃ τοῦ Μουσείου καὶ ἐπὶ τῶν ἐν Ῥώμῃ βιβλιοθηκῶν Ῥωμαϊκῶν τε καὶ Ἑλληνικῶν καὶ ἐπὶ τῆς παιδείας Ἀδριανοῦ, ἐπισολεῖ τοῦ αὐτοῦ αὐτοκράτορος.* Suidas autem haec habet in inscriptione lexici: *Τὸ μὲν παρὸν βιβλίον Σουΐδα· οἱ δὲ συνταξάμενοι τοῦτο ἄνδρες σοφοί·* tum et alii grammatici memorantur et hi: *Οὐησῖνος Ἰούλιος σοφιστής· ἐπιτομὴν τῶν Παμφίλου γλωσσῶν βιβλίων ἐνενήκοντα ἑνός ..... Πάμφιλος· λειμῶνα λέξεων ποικίλων περιοχὴν βιβλίων ἐνενήκοντα πέντε· ἔσι δὲ ἀπὸ τοῦ ε σοιχείου ἕως τοῦ ω· τὰ γὰρ ἀπὸ τοῦ α μέχρι τοῦ δ Ζωπυρίων πεποίηκε.* Primus ni fallor Valckenaerius intellexit huius inscriptionis fidem esse nullam, compositae scilicet ex iis ipsis quae Suidas ipse suis locis de his grammaticis retulit. Miror tamen nuper viros quosdam doctos inventos esse, qui fidem et auctoritatem puerilis figmenti tueri vellent, neque intellexisse videntur ineptum esse credere Suidam Pamphilum in lexicon retulisse *simul* cum Epitomatore Vestino. Tum hoc quoque mirum nobis accidit Pamphili lexicon habuisse libros nonaginta quinque, Vestini nonaginta unum, sed haec res facilem explicationem habet, nam quum Zopyrion diceretur conscripsisse literas *α β γ δ*, videri poterant vere Pamphili esse libri non 95, sed 91 tantum, neque ibi docemur numerum Vestini librorum sed Pamphili, quamquam palam est errare quicunque operi inscriptionem praemiserit, nam si totum lexicon nonaginta quinque libris constaret, non poterant vocabula quae a literis *α β γ δ* incipiunt singulis deinceps libris comprehendi. Sed Sui-

das ipse in voce Οὐησῖνος tradit Vestinum comprehendisse Pamphili epitomen libris quatuor, eaque ipsa sola causa fuit cur Rankius negaret Diogenianum Vestinum excerpsisse, cum eius epitome quinque libris constaret, hoc est uno pluribus quam opus quod in breviorem formam redigere vellet. Nihil in istis video verisimilius quam Pamphilum opus a Zopyrione inchoatum perfecisse libris 95, Vestinum redegisse ad libros triginta, nempe non δ sed λ, Diogenianum denique ad libros quinque.

Sed maxima oritur dubitatio de Diogeniano utrum eo ipso utamur ab Hesychio servato an excerpto. Explorata re affirmo habuisse sane Diogenianum haud pauca quae nunc apud Hesychium desiderentur, sed haec desiderari socordia librariorum, Hesychium certe Diogenianum cum pulvisculo in novum lexicon transtulisse. Et pauciora desunt quam quis putaverit. Unde noverim? Nempe exemplis plus quam sexcentis. Scilicet nunc sumam quod infra demonstrabo Aelium Dionysium usum fuisse Diogeniano. Hinc Eustathius qui tamen Diogenianum non adhibuit, eius testimonio utitur p. 1533. 46. Verum cum lexica rhetorica Eustathii inter se simillima essent, qua de re infra disputandi dabitur locus, sequitur si Dionysius plura e Diogeniano habuerit, habuisse quoque Pausaniam. Hinc in Photio multa insunt, quae verbo tenus cum Hesychio conveniunt, quae, exceptis glossis Platonicis, Homericis, Sacris, de quibus infra, omnia e Diogeniano sunt. Vides quo tendam. Fuerint sane lexica rhetorica Eustathii doctius et uberius conscripta quam Photiana συλλογή· at sic habemus excerpta quaedam e Diogeniano. Quodsi autem hic initio multo plura habuerit quam hodie apud Hesychium supersunt, necessario sequitur diversam esse debere faciem Diogeniani apud Hesychium et Diogeniani apud Photium et modo plura hunc habere, modo illum, modo alterum utrum deficere. Forte fortuna autem factum est ut in Diogeniani glossis Hesychius et Photius plerumque conspirent et saepe verbis utantur prorsus iisdem, interdum easdem corruptelas repraesentent. Hoc unum est discrimen fere perpetuum, Hesychium saepe addere nomen scriptoris qui laudata voce usus sit cum Photius omittat, saepe Photium addere ubi Hesychius omittat. Hoc equidem librariis dederim Diogenianum paulo constantius τὰς χρήσεις addidisse

quam nunc per codicem Marcianum fecisse videatur; in ceteris plerisque tenemus ipsum Diogenianum; interpretatio interdum brevior facta est, sed ipsa glossa non nisi rarissime sine vestigio periit. Ipsa me copia prohibet quominus exemplis ostendam quod unusquisque qui hoc aget, statim comperiet verum esse. Habuerit Diogenianus quaedam quae hodie apud Hesychium desiderantur, et exemplum est glossa ὑπόξυλος qua infra utemur, sed pauciora haec sunt quam multi opinantur. Ceterum vide § 21.

Vidimus Diogenianum excerpsisse Vestinum, Vestinum Pamphilum, Pamphilum Theonis vel Didymi lexica comicum et tragicum, sed Rankius et Schmidtius, quem non satis assequor cur interdum de Rankio cum contemtu loquatur eiusque »viriculas" exagitet, instituta comparatione Athenaei et Hesychii, accurate ostenderunt Pamphilum praeter Didymum alia quoque multa in farraginem retulisse. Videndum est an huius quoque rei memoria e Photio possit suscitari.

Est Photii adnotatio: Μάννης· ποτηρίου εἶδος. Photius mihi crede vocabulum nusquam legit; invenit in lexicis suis rhetoricis, quo fluxit adnotatio e Pamphilo ducta. Putasne legisse Pamphilum? Non putabis coll. Athen. XI. 487 E: Μάννης· ποτηρίου εἶδος. Νίκων Κιθαρωδῷ·

> καὶ πάνυ τις εὐκαίρως· προπίνω, φησί, σοι
> πατριῶτα· μάνην δ' εἶχε κεραμεοῦν ἀδρὸν
> χωροῦντα κοτύλας πέντ' ἴσως· ἐδεξάμην.

Παρέθετο τὰ ἰαμβεῖα καὶ Δίδυμος καὶ Πάμφιλος: h. e. Pamphilus laudat fide Didymi.

En aliud exemplum. Pamphilus apud Athenaeum IV. 171 B. laudat Artemidori sententiam de vocabulo ἐδέατρος· ἐκάλουν δέ φησι καὶ τοὺς προγεύσας ἐδεάτρους ὅτι προήσθιον τῶν βασιλέων πρὸς ἀσφάλειαν· νῦν δ' ὁ ἐδέατρος ἐπισάτης γέγονε τῆς ὅλης διακονίας. Cum his compone Aelium Dionysium ap. Eustath. p. 1403. 33: ἦν δὲ προγεύσης προεσθίων τοῦ βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν· ὕστερον δ' ἐνομίσθη ἐδέατρον καλεῖν τὸν ἐπισάτην ὅλης διακονίας καὶ παρασκευῆς.

Artemidorus ille quem modo nominabam, semel a Photio laudatur nempe in Platonica glossa Boethi Τευτάζειν, quae e Pamphilo ipso fluxit, nam ex Hesychio satis apparet eius nomen

sat saepe laudatum a Pamphilo apud Athenaeum, perraro ab Diogeniano servatum fuisse; quod minime mirum est cum e Pamphili opere vix vigesimam partem reliquisset. De hoc Artemidoro utilia quaedam Rankius congessit p. 103 sqq. Ex ea disputatione hunc fructum percipere poteris ut intelligas quod Schmidtius quoque vidit, ne Pamphilum quidem ipsum inspexisse omnes quos laudaret scriptores. Nam quae supersunt Laconicae glossae Aristophanis Byzantii et Creticae Hermonactis, eas existimo non ipsum vidisse Pamphilum, sed acceptas debere Artemidoro. Fit hoc admodum verisimile ex iis quae Rankius disputat p. 108 sqq. Nolo ingredi disquisitionem de fontibus Athenaei, in qua rite tractanda nondum desudatum est, sed afferam exemplum quo pateat quantas cautiones res habeat. Nam quum Athenaeus III. p. 88 C Epaenetum laudat ἐν Ὀψαρτυτικῷ, cave tamen inde conficias Athenaeum eius volumina inspexisse. Unde habeat cognosce ex IX. 388 D: Ἀρτεμίδωρος δὲ ὁ Ἀριστοφάνειος ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις ὀψαρτυτικαῖς γλώσσαις καὶ Πάμφιλος ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τοῖς περὶ Ὀνομάτων καὶ Γλωσσῶν Ἐπαίνετον παρατίθενται λέγοντα ἐν τῷ Ὀψαρτυτικῷ ... κτἑ. Vides Pamphilum uti libris Artemidori, Artemidorus Epaeneti. Alia eiusdemmodi exempla sunt, sed rem relinquam iis qui de Athenaeo quaesituri sunt.

Nota apud Photium duas Creticas glossas, Hermonactis opinor, κωραλίσκον et ψούδια, sed iam transibo ad aliud argumentum, cum quaestio de Pamphili fontibus a Photio paulo remotior sit ac nuper M. Schmidtii diligentia suppleverit quae Rankius in hac operis parte paulo festinantius et ad finem properans scripserat.

Scilicet perpetuo isto excerpendi instituto factum est quod multum miror neminem quod sciam adnotasse, nempe hinc saepissime in laudandis scriptorum nominibus titubatum esse. Sunt huius rei complura exempla apud Photium quorum pauca proferam. Glossa est ζύγασρον· κιβωτός· κυρίως δὲ ἡ ξυλίνη σορός, παρὰ τὸ ἐζυγῶσθαι· οὕτως Εὐριπίδης· παρὰ Δελφοῖς δὲ ζύγασρον καλεῖται τὸ γραμματοφυλάκιον. Haec Pausaniae sunt, e quo Eustathius affert p. 956. 2: ζύγασρον ἡ ξυλίνη σορός, παρὰ τὸ ἐζυγῶσθαι οἷον· κοίλῳ ζυγάσρῳ. Non igitur laudarat Euripidem sed Sophoclem in Trach. vs. 692. Excipiunt sese apud Photium glossae κατεύχεσθαι· τὸ καταρᾶσθαι et κατεύχεσθαι τῶν Ἀχαιῶν,

altera e Platone, altera e Sophocle; at plane contra est: prior glossa pertinet ad Soph. Oed. Tyr. vs. 246, altera ad Plat. Rep. III. 393 A. Σίκλος habet octo obolos secundum Sophoclem; si difficile est credere hoc in tragoedia tradi potuisse, praestabit Xenophontis nomen reponere, quem vide in Anab. I. 5. 6. Cum nomina propria compendiis scriberentur, facilius etiam aut perperam legebantur aut in excerpendo locum permutabant. Perinsigne est exemplum in glossa ὑπηνέμια, ubi laudatur Aristophanis versiculus ἐν Δαιδάλῳ. At Schol. Arist. Nub. vs. 663 eundem locum Platoni Comico tribuit. Ex talibus locis initium sumsit celebratus locus Clementis Alexandrini de furtis, veluti quum dicat Πλάτων ὁ κωμικὸς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται, de quo exquisite egit Cobetus in Platonis Com. Rell. p. 67 sqq. Ut mihi quidem videtur vitio Codicum et Epitomatorum negligentia factum est ut duo poetae interdum videantur idem dicere. Hinc iniqua sorte Plato Comicus premebatur, qui quum Amipsias dixisset

ὀρφοῖσι σελαχίοις τε καὶ φάγροις βορά,

satis creditur octodecim annis post Κλεοφῶντι hos versus composuisse:

σὲ γὰρ γραῦ συγκατῴκισεν σαπράν
ὀρφοῖσι σελαχίοις τε καὶ φάγροις βοράν.

Cf. Athen. VII. 327 D. 315 C. Utrum putas Platonem Amipsiae locum furatum esse an imitando ridere voluisse? Neutrum profecto, nisi forte credis Athenienses fuisse memoria tam tenaci ac ferrea prope dixerim ut post tot annorum spatium versiculi recordati fuissent, in quo nihil esset admodum aut acutum aut ineptum. Fortuito igitur factum esse ut eundem versiculum uterque componeret? Ne hoc quidem satis credibile est. Equidem nullus dubito Athenaeum librariorum vitio deceptum fuisse et hoc magis miror eum non saepius errasse. Sequitur apud Cobetum Hermippi locus, qui apud Photium legitur v. στίλβη·

ἐξ ἀγορᾶς δ' ἐγώ
ὠνήσομαι λύχνον τιν' ἢ σίλβην τινά.

Viri docti quos Cobetus impugnat, laudant Poll. VI. 103 ut ostendant hoc quoque furatum esse Platonem:

ἐξ ἀγορᾶς δ' ἐγώ
ὠνήσομαι σίλβην τιν' ἥτις μὴ πότις.

Utrius hic versiculus sit nescio, sed utriusque esse non posse hoc quidem quovis pignore contendam. Affert Cobetus aliquammultos locos eiusdem generis et subiungit: »Sed quis monendus est quo pacto uterque plagii possit absolvi?" Neque tamen indicat utrum eam rationem quam supra exposui in mente habuerit, an aliud quid cogitaverit. Sed furti certe crimen tenues dilabitur in auras.

§ 4.

De Aelio Dionysio.

Fuit Aelius Dionysius Halicarnassensis tempore Hadriani Imperatoris, qui Ἀττικῶν ὀνομάτων λόγους πέντε conscripsit, quorum memoriam nuper renovavit Cobetus in Mnemosynes X. 50. Suidas tradit eum Musici cognomen habuisse scripsisseque Ῥυθμικὰ ὑπομνήματα, Μουσικὴν ἱστορίαν, Μουσικὴν παιδείαν et τίνα μουσικῶς εἴρηται ἐν τῇ Πλάτωνος Πολιτείᾳ. Constabant ista opera deinceps libris 24, 36, 22 et 5. Quodsi autem vix credibile est, ei quinque libris opus fuisse ad postremum argumentum explicandum, facilis conjectura est excidisse Ἀττικῶν ὀνομάτων inscriptionem. Ut ut est, caetera sine vestigio perierunt, ex libris de Atticis nominibus bona pars superest apud Photium et Eustathium; bis praeterea laudatur a Scholiasta Homeri ad Iliad. ζ 378 de voce εἰνατέρες, cf. Eust. p. 648. 46 et ad Iliad. ο 705 de interaspiratione, cf. Lehrs. Aristarch. p. 330. Eustathius in Commentariis Homericis saepe laudat et multa quantivis pretii αὐτολεξεί ex eo describit, semel affert in Commentario ad Dionysium Periegetam. Optandum est ut tam boni grammatici fragmenta aliquando separatim edantur, nam Meieri libelli, quem hoc praestitisse audio, in his quidem terris venales non sunt, neque mihi, quod semel moneo ne non curasse videar, doctissimi viri disputationes usurpare licuit. Sed Photius in Bibliotheca quum dixisset se legisse Timaei lexicon sic pergit: Περιείχοντο δὲ τῷ (αὐτῷ) τεύχει καὶ Αἰλίου Διονυσίου Ἁλικαρνασσέως Ἀττικῶν Ὀνομάτων τῆς πρώτης ἐκδόσεως λόγοι πέντε, ἀπὸ τοῦ α μέχρι τοῦ ω τὰς ἀττικὰς λέξεις κατὰ στοιχεῖον ἀναγράφοντος· Σκύμνῳ δὲ τὸ σύνταγμα προσφωνεῖ· χρησιμώτατος

δὲ ὁ πόνος οὗτος τοῖς τε ἀττικίζειν ἔχουσι Φροντίδα καὶ τοῖς τῶν ἀττικῶν συγγραμμάτων ἐνομιλεῖν προαιρουμένοις· ὅσαι τε γὰρ ἐπιχωριάζουσι λέξεις τοῖς Ἀθηναίοις περί τε τὰς ἑορτὰς καὶ τὰς δίκας ἐντεῦθέν ἐσιν ἐκμαθεῖν· καὶ εἴ τι ἄλλο ἰδιοτρόπως αὐτοῖς λέγεται, οὐ χαλεπὸν εὑρεῖν· μάλις' εἴ τις μὴ τοὺς τῆς πρώτης ἐκδόσεως μόνον τόμους διερευνοίη, ἀλλὰ καὶ τῆς δευτέρας ἐκδόσεως καὶ αὐτοὺς πέντε τόμους ὄντας καὶ ἀπὸ τοῦ α μέχρι τοῦ ω τὰς ἀττικὰς λέξεις περιέχοντας, ὅσαι τε τῇ προτέρᾳ οὐ συμπεριελήφθησαν ἢ περιελήφθησαν μὲν μαρτυρίαις δὲ ταῖς οὔσαις οὐκ ἐβεβαιώθησαν· ἐν γὰρ τῇ δευτέρᾳ ἐκδόσει πλατύτερον καὶ ἀφθονώτερον αἱ μαρτυρίαι παρατέθεινται· ὧν εἴ τις τὰς δύο πραγματείας εἰς ἓν σύνταγμα συναγαγεῖν βουληθείη χρησιμώτερόν τε τὸ φιλοτέχνημα ἀποδείξει καὶ μετὰ ῥᾳσώνης ἐκτελέσει Quod Photius narrat de duplici recensione Aeliani operis, id infra videbimus quo pertineat, nunc notandum est Patriarcham in Lexico illud ipsum praestitisse quod aliis suaserat et utramque recensionem cum Pausaniae et Boethi lexicis, aliis quibusdam, composuisse in unum. Si quis Dionysii fragmenta apud Eustathium cum Photio conferet, statim videbit quam hoc sit sine dubitatione verissimum; hoc tantum cavendum est ne quis putet integras observationes apud alterum utrum superesse. Saepe Photius ex Eustathii fragmentis suppleri potest; saepe videbis Eustathium conjunxisse quae variis locis Dionysius docuerat. Laudat verbi causa Cobetus doctam imprimis Dionysii adnotationem de generibus nominum apud Eustath. p. 1390. 50. Pauca eius fragmenta luculentiora supersunt, sed ipse in Lexico rem multo uberius tractarat neque simpliciter nominum genera posuerat sed scriptorum testimoniis munierat. Sunt huius rei clara vestigia apud Photium, qui fere omnia vocabula suo loco habet, quae in unum coniunxit Archiepiscopus Thessalonicensis. Quod in fine habet τὰ σάδια καὶ οἱ σάδιοι, si cum Photio composueris, videbis quam hoc vere dictum sit. Apparet Grammaticum rem attentissima cura tractavisse; haec enim eius sunt: σάδια καὶ σαδίους· ἑκατέρως λέγουσιν· ὁ Θουκυδίδης δὲ σαδίους ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν· ἅπαξ δὲ μόνον σάδια εἴρηκεν ἐν ζ'· ἐν γὰρ τῷ πρόσθεν ἐπὶ πολλὰ σάδια μέλλων ἰέναι. Vides hominem Thucydidis studiosissimum fuisse, qui fidenter scribere potuerit ἅπαξ δὲ μόνον σάδια, nempe VII. 78. Quod autem Hadriani tempore Diony-

sius in Thucydidis Codicibus invenit, id nostri confirmant; nisi malis quod haud paulo rectius est putare, nostrorum codicum lectiones egregie confirmari, si quis testem produxerit antiquissimis Codicibus qui supersunt, multis saeculis antiquiorem. Sed de hoc argumento Cobetus adeundus.

Memorabilis est adnotatio in Hermogenis Codice Parisino, quam primus protulit Bekkerus in Anecdotis p. 1073: *Φρύνιχος ἐν τῇ Σοφιστικῇ Παρασκευῇ παρατίθεται τὸ ὑπόξυλος ῥήτωρ καὶ ποιητής· εἴρηται δέ φησι μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν ἐκ ξύλου σκευῶν οἷς ἐπιπολῆς ἐλήλαται ἄργυρος· κεῖται δὲ ἐπὶ λαμπρῶν μὲν ἔξωθεν καὶ ἐπιεικῶν, πονηρῶν δὲ τὰ ἔνδον. Αἰσχύλος ἐν Πέρσαις μέμνηται καὶ Διογενιανὸς ἐν τῇ λέξει τούτου καὶ Διονύσιος ἐν τῇ ἐκλογῇ τῶν ὀνομάτων ὅτι Μένανδρος ἐν τῇ Περινθίᾳ φησί· οὐδ' αὐτός εἰμι σὺν θεοῖς ὑπόξυλος· οἷον κίβδηλος καὶ οὐ γνήσιος οὐδὲ ἀληθής, ἀπὸ τῶν ξυλίνων καὶ περιηργυρωμένων σκευῶν.* Itaque Hermogenis Scholiasta pleniorem invenit Phrynichi locum quem breviorem habemus apud Bekk. p. 67. 6: *ὑπόξυλος ποιητής, ῥήτωρ καὶ Φίλος καὶ τὰ ὅμοια· εἴρηται κατὰ μεταφορὰν τῶν ἀπὸ ξύλου πεποιημένων σκευῶν οἷς ἐπιπολῆς ἐλήλαται ἄργυρος ἢ χρυσός· καὶ τίθεται ἐπὶ τῶν πονηρῶν μὲν ἐντυχεῖν δ' ἐπιεικῶν.* Non diu dubitabis Phrynichum sua habere ex Aelio Dionysio, cuius praeterea locus contractus legitur apud Photium: *ὑπόξυλος· κίβδηλος, ὡς ὑπόχαλκος· οὕτως* Μένανδρος, quo loco confirmatur quod supra posui in Photio nihil superesse praeter excerpta quaedam modo exilia modo paulo uberiora. Infra videbimus et idoneis exemplis demonstrabimus Phrynichum sedulo lectitavisse Dionysium. Quamquam autem in Hesychio locus desit, minime tamen dubium est quin Dionysius, etsi fortasse ipse primus Menandri locum adjecerit, quem inter comicos poetas prae ceteris dilexerit, Aeschyli tamen locum apud Diogenianum invenerit eumque, quod aliquoties fecisse videtur, nominatim laudaverit, credo quia fere aequales erant, nam Diogenianum cui et ipsi Aelio cognomen erat, sub Adriano vixisse Suidas auctor est. Hoc autem mirum est Aeschylum in Persis laudari, in qua fabula *ὑπόξυλος* frustra quaesiveris. Ecce autem duo fragmenta apud Athenaeum XI. 476 C. et 499 A:

ἀργυρηλάτοις
κέρασι χρυσᾶ σώμια προσβεβλημένους.

Et: *ποῦ μοὶ τὰ πολλὰ δῶρα κἀκροθίνια;*
ποῦ χρυσότευκτα κἀργυρᾶ σκυφώματα;
Utrumque desumtum est ex Aeschyli fabula Περραιβίσι, in qua certe non mirabimur his versibus lectis veteres grammaticos invenisse quoque ὑπόξυλος. Credo igitur pro ἐν Πέρσαις legendum esse ἐν Περραιβίσιν.

Praeter hunc locum duo loci sunt, quibus patet Dionysium — et fortasse Pausaniam etiam, cuius conjuncta causa est — Diogeniano usum fuisse. Alter apud Photium est v. ἃ ἄ ubi nominatim excitatur et Hesychius adstipulatur; alter apud Eustathium p. 1533. 47 ubi narrat se in rhetorico quodam lexico in interpretatione vocabuli οἴαξ laudatum invenisse Diogenianum. Locus exstat apud Photium et apud Hesychium v. οἴακες et πηδάλια.

Nunc redibo ad eam disputationem quam in superiore paragrapho aggressus eram de Hesychio cum Photio componendo. Infiniti loci evidentia prope dixerim mathematica demonstrant quae genuina Diogeniani forma fuerit. Scilicet auctoritates quas imprimis curamus, Diogenianus paulo accuratius adscripserat; has haud exiguo numero librarius Marciani Codicis omisit describere, sed Codex Galeanus et, ubi ille deficit, Suidas damnum magnam partem sarcire possunt. Contra etiam saepius factum est ut in Photio αἱ χρήσεις evanuerint, ex Hesychio supplendae. Defungar paucis exemplis. Itaque socordia librarii factum est ut in Hesychio scriptoris nomen perierit in glossis ἄδδιξ, ζητρεῖον, εὔκηλον, εὐκράς, ἠθημένος, καρδιώττειν, ξανῶ, ξυνωρίς, ὀκορνούς, ὀκριάζων, πειρᾶν, προκόττων aliisque multis. Contrarium obtinet in Photii glossis ἄδασμος, ἔρκεσι, Ἑρμῆς τρικέφαλος, ἐρρωπίζομεν, ἐσέφθην, ἐς τὸν λιμένα, εὐθύδημον, εὐλληματεῖ, εὐναῖος, εὐωριάζειν, ἔχθημα, Ζευξίλεως, ζηλῶ, ζυγώσω, ἡμάλαπτεν, θωχθεὶς, θῶψαι, ἱπποκλείδης, ἴτηλον, κάκαλον, κρείττονες, κριὸς ἀσελγοκέρως, Λέσβιον ᾠδόν, λιμοδωριεῖς, ὀσράκων, οὐκ ἀσκίῳ, aliisque de quibus ad Photium ipsum adnotabo.

Sed imprimis animadversione dignae sunt corruptelae, quae quia in Hesychio et Photio saepe fere eaedem sunt, manifesto olim in Diogeniani codice inventae sunt indeque bona fide a Dionysio translatae. Statim habes exemplum in lexici initio: Ἔρρ' αἰθέριον· εἰς φθοράν· Εὐριπίδης nempe Androm. 822. Le-

gitur tamen in Codicibus Marciano et Galeano Ἔρριον· εἰς φθ. quod monstrum viri docti felici acumine procurarunt. Photius scribit sine sensu εὐγμαοδείων, Hesychius εὐτμαδιέων. Ille ἐρατειχεύειν, hic ἐρατεινεύειν. Ille ἐσδραγύλιξον, hic ἐσδραμύλιξον· quae vitia nondum a quoquam sanari potuerunt neque fortasse poterunt. Photius habet ἐττημένα, Hesychius ἐττησμένα· debuerant ἠττημένα. Uterque habet κακοδαίμων· ὁ θεοῖς ἐπαχθής pro ἀπεχθής. Photius καλήβορον interpretatur, Hesychius κάβηλος et κάληβος· verum est βάκηλος. Uterque καρυβοᾶν scribit pro καρηβοᾶν. Photius ναικισήρεις habet, Hesychius ναικισσήρεις, mendosum utrumque. Uterque ξανθοῖσιν ὀρνέοις omissa interpretatione. Uterque οἰκεῖλαι pro ὀκεῖλαι. Uterque ὀρθογόη pro ὀρθρογόη. Possum alia addere sed non est opus. Imprimis haec animadversione digna sunt, ut videas non tantum istas corruptelas omnes in Diogeniani Codice lectas fuisse tempore Hadriani, h. e. vivo auctore aut brevi mortuo, sed Aelium Dionysium grammaticum doctissimum nil mali suspicatum eas in lexicon transtulisse. Si negas fieri posse et suspicaris rem quavis alia ratione explicandam esse, afferam in simili re turpem errorem non Aelii Dionysii, non Diogeniani, non Vestini, sed ipsius Pamphili. Athenaeus XI. 502 B. affert Cratini locum conclamatum quidem sed prima verba χρυσίδι σπένδων mendo vacant. Paulo supra p. 497 D. poculorum genera enumerans haec posuit: Ῥυσίς· φιάλη χρυσῆ, Θεόδωρος. Κρατῖνος ἐν Νόμοις· Ῥυσίδι σπένδων. Noli librarios criminari, nam Athenaeus ponit inter ῥεόντα et ῥοδιάς. Sed unde sciam errorem esse Pamphili? Nempe Hesychius idem illud bellissimum ῥυσίς suo loco interpretatur. Vides, non habet quo caput abscondat. I nunc et librarios criminare, peccant ubi talia scriptores ipsi.

Sed ne forte credas Aelium Dionysium satis habuisse alios describere, dicendum est nunc de eius studiis Platonicis. Initium mihi sumam ab eo Eustathii loco quem Cobetus attulit p. 53, ubi excerpsit Aelii Dionysii opiniones de nominum generibus; tum subiungit: δῆλον δὲ ὅτι Ἀττικῶς ταῦτα πάντα, ἐπεὶ καὶ Ἀττικαῖς λέξεσιν ὁ Διονύσιος ἐπεξέρχεται, quibus verbis, dummodo recte intelligo, vel solis patet verum esse quod supra posui, Dionysium suis locis et separatim de istis nominibus disputasse, Eustathium autem in unum contraxisse, sed nimium

sumeret qui inde conficeret peregrinas glossas quae aliquammultae apud Photium supersunt, Pausaniam non Dionysium auctorem habere. Componendus est alius Eustathii locus, p. 813. 44, ubi refert Aelii Dionysii disputationem de dupl·ci Σ. Laudato noto Platonis versiculo *ἔσωσας ἐκ τῶν σίγμα τῶν Εὐριπίδου*, sic pergit: *ὅτι Θετταλοὶ καὶ Κιτιεῖς οὐχ οἱ κατὰ Φοινίκην ἀλλ' οἱ περὶ Κύπρον, ὧν πόλις Κίτιον κληθεῖσα οὕτω φασὶν ἀπὸ Κιτίου γυναικός τινος, θάλατταν ἔλεγον καὶ πίτταν καὶ καρδιώττειν καὶ Ματταλίαν, καὶ τοιαῦτα ὅσα οὐδαμοῦ Ἀττικὰ νομίζεται ἀλλὰ τῶν γειτόνων Φησὶ Βοιωτῶν, τῷ μήτε Ὅμηρον μήτε τραγικοὺς μήτε Θουκυδίδην ἢ Πλάτωνα κεχρῆσθαι αὐτοῖς.* Hic quoque ut saepe Eustathius quaedam turbavit, sed hoc video eum *Κιττιεῖς* scripsisse, perperam quidem sed sic recentiores solebant; Aelius Dionysius rem multo uberius tractarat, vide modo Photium v. *καρδιώττειν*, quam adnotationem huic reddere non dubitabis coll. Eust. p. 1508. 52. In qua quum legatur: *καρδιώττειν τὴν καρδίαν ἀλγεῖν, Σικελιῶται· ὃ ἡμεῖς βουλιμιᾶν*, vides non sine exceptione verum esse quod Eustathius supra dixerat de Atticis vocabulis quae *sola* Dionysius adnotasset. Sed hoc minime negligendum est ex hoc loco effici posse Dionysium praecipue curasse Homerum, tragicos poetas, Thucydidem et Platonem. Hinc in Photii lexico illorum nomina toties consociantur et Plato innumeris locis cum Thucydide componitur.

Apud Eust. p. 901. 11 Aelius Dionysius *δημοῦσθαι* laudat e Plat. Theaet. p. 161 E. In Photio vocabulum periit, sed habet Suidas cum Dionysii interpretatione *παίζειν*

P. 1430. 37 Eustathius interpretatur secundum Dionysium *ἀγείρειν, ἀγύρτης* et *συναγυρμὸς Φρονήσεως* e Plat. Politic. p. 272 C, quem locum si contuleris, offendes in his verbis quae proxime sequuntur: *ἐπειδὴ γὰρ πάντων τούτων χρόνος ἐτελεώθη καὶ μεταβολὴν ἔδει γίγνεσθαι καὶ δὴ καὶ τὸ γήινον ἤδη πᾶν ἀνήλωτο γένος, πάσας ἑκάσης τῆς ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκυίας, ὅσα ἦν ἑκάστῃ προσαχθέν, τοσαῦτα εἰς γῆν σπέρματα πεσούσης, τότε δή.....* Quidquid dicant doctissimi Interpretes, non persuadebunt *πεσούσης* sanum esse; aliena affert Hermannus qui comparat *δρόμον περιέναι*, quo ipsum non vidisse credo quomodo defendi possit *σπέρματα πεσεῖν*. Sed animae *εἰς γῆν σπέρματα ἔπαθον* et Plato scripsit *παθούσης*, quod ab inepto

librario levi correctiuncula mutatum fuit, quia non intelligeret quid esset εἰς γῆν σπέρματα. Tum soloecum est ὅσα ἦν προσαχθὲν nec quidquam prodest προσαχθέντα scribere; agnosco Platonis manum in ὅσα ἂν ἑκάστῃ προσαχθῇ. Hunc locum Aelius Dionysius accurate legisse videtur; quae enim vocabula mox sequuntur οἴαξ, πηδάλιον, περιωπή, de his eum retulisse novimus. Paulo post pro ξυμβάλλων nuper reposui ὀξυλαβῶν· de his correctionibus exspecto quid aequi iudices pronunciaturi sint.

Apud Eust. p. 1638. 10 legitur adnotatio Dionysii de voce ἄγνος, quae affertur e noto loco in Platonis Phaedro. Locus plenior servatus est a Suida, apud quem videmus Dionysium ad demonstrandum nominis genus, usum fuisse Chionidis auctoritate.

Quia autem vidimus Dionysium et Pausaniam saepe consentire, nihil mirum est Eustathium aliquoties Platonem secundum hunc interpretari. Verbi causa p. 361. 37 Ἄρτεμις Ἀγραία a Pausania laudatur e Phaedr. p. 229 C, sed locus plenior exstat in sexto lexico Bekk. p. 326. 14. — Apud Eust. p. 1353. 36 idem affert formam σμήρινθος e Plat. Legg. I. p. 644 E, ubi tamen hodie μήρινθοι legitur. In Photio v. σμήρινθοι Platonis nomen periit. Alibi Eustathius nomen non adscribit. Quod p. 809. 42 habet de vocabulis ἠλύγη et ἐπηλυγασάμενος ap. Plat. Lysid. p. 207 B. κατὰ τοὺς παλαιούς, id ad verbum recurrit apud Photium v. ἠλύγη. Quod p. 958. 24 e rhetorico lexico affert Atticam et Ionicam formam χρέως, ὑπέρχρεως, ἀξιόχρεως apud Platonem et Demosthenem, indidem ducta sunt in sexto lexico Bekk. p. 412. 30 ἀξιόχρεως et in Photio ὑπέρχρεως, sed vide Cobet. Hyper. p. 30. Itidem p. 1515. 50 e rhetorico lexico affert σκολύθριον quod Plato habet in Euthyd. p. 279 B.

Iam quum his exemplis constet de studiis Platonicis Dionysii et Pausaniae inspiciamus Photium et videamus an horum Platonicas glossas distinguere possimus ab iis quae Boethum auctorem habent. Res in plerisque multo expeditior est quam quis opinetur. Saepe glossarum forma prodit eas e lexico Platonico excerptas esse, saepe patet aliunde. Est glossa καταστκεδάζειν· ἔθος ἦν Θράκιον ἐν τοῖς συμποσίοις caetera quae e Xenophonte nota sunt. Quod additur μέμνηται τούτου καὶ ὁ μέγας Πλάτων ἐν τοῖς Νόμοις, satis demonstrat observationem non esse Boethi. Mira est novicia forma καταστκεδάζειν in

glossa tam antiqua. Deinde qui Dionysium in ceteris cognoverit, illi reddet quoque plerasque adnotationes de nominum verborumque formis et generibus apud Platonem. Denique indicio est ipsius Platonis nomen vel additum vel omissum, sed in tali re caute versandum est, nam in glossis rhetoricis Platonis nomen casu omitti potuit et in glossis Boethi saepe ab amanuensi Photii additum est, sicuti additum quoque est in Timaei glossis παλιναίρετα et προσέπαισεν, ubi quum legeretur προσέπαισε· προσέπαιξε· τῷ σ ἀντὶ τοῦ ξ κέχρηται, Photii librarius scribit Πλάτων τῷ σ ἀντὶ τοῦ ξ κέχρηται. Simile quid observabis in ipsis Scholiis Platonicis ad Charmid. 165 A et Euthyd. 293 D. Sed exempla totam rem planam facient.

Docet Photius vel potius Dionysius Atticas esse formas ἑωράκη et ἑώρων. Prior observatio de forma plusquamperfectorum mutila est, sed quid grammaticus dixerit confici potest ex Eust. p. 1946. 24, ubi sententiae auctor Panaetius laudatur, ut intelligas temporibus quam vetustis de istis formis quaesitum fuerit. Idem argumentum tractatur in glossis ἤδη et καὶ τὸ ἤδη, in quo latet κἀγὼ ἤδη ex Euthyd. 302 A, sed ibi agnosco Boethum, nam in priore glossa simpliciter laudatur Εὐθύδημος, philosophi nomine non adscripto. Et Boethus interdum has quoque quaestiones attigit; legitur v. c. apud Photium scribendum esse ἦ̃α δισυλλάβως, nempe apnd Platonem, nam Boethus haec adscripserat ad Rep. V. 449 A, ad quem locum nunc vide Scholiastam, quem infra de industria demonstrabo adhibuisse Boethum. Caeterum non dubito hic quoque ut saepe alias Boethum usum fuisse auctoritate Dionysii, qui Thucydidis et Aristophanis locos addiderat.

Glossa est ἐρεσχηλεῖν vel potius ἐρεσχελεῖν, dummodo Porsonus in Adversariis p. 128 recte restituit Athen. XV. 685 F: πολὺ παρὰ Πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ καὶ παρ' Ἴωσιν. Non est animadversio Boethi, nam non potuit sic loqui in lexico Platonico. Adnotatio est εὔηθες· ἐπὶ τοῦ βελτίονος καὶ Θουκυδίδης (III. 83) καὶ ὁ φιλόσοφος (Rep. IV. 425). Et hoc Boetho abiudicaverim, qui non addidisset καὶ ὁ φιλόσοφος, ut vidimus modo in glossa ἦ̃α.

Nunc inspice illud: θαυμαστότερον· οὕτως Πλάτων. Hoc in rhetoricis lexicis, etsi non admodum utile, ferri tamen potest; in

lexico Platonico absurdum est. Saepe videbis illud οὕτως Πλάτων in glossis rhetoricis, cf. v. κκλλωπίζεσθαι, σποδιοῦσιν, ςεργέτω, τέραμον, τομόν, τροπίδια. Agnosco Dionysium in glossa λιθῶντας ubi docemur λιθᾶν dicendum esse et βραγχᾶν, non λιθιᾶν et βραγχιᾶν, cf. v. ψωρᾶν. Conjunguntur Plato et Thucydides in glossa μεταποιεῖσθαι· vides quid sequatur. Paulo post sequitur μητρίδα· τὴν πατρίδα· καὶ Πλάτων καὶ Φερεκράτης· exscribo autem talia ut lectores intelligant quid intersit inter rhetoricas glossas et glossas Boethi, de quibus infra videbimus. Iterum Plato et Pherecrates conjunguntur v. συηνία, Plato et Philemon in v. τηνάλλως, Plato et Cratinus in v. τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, Plato Aristophanes et Menander in v. ὑπηνέμια· ex quibus glossis nulla Boethi est. Hinc Dionysius saepe addit ὁ φιλόσοφος, scilicet quia haud raro utitur Platonis Comici testimonio; in Boetho hoc est minus necessarium.

Dionysius commendat formam ὀςαφίδα exemplo Cratini et Platonis, cui hanc redde Legg. VIII. p. 845 B. Non magis e Boetho est glossa πέμπε· apparet iam ex ipso lemmate, nam Plato nusquam habet πέμπε, sed πεμπάδα, neque Platonis locus explicatur, sed grammaticus demonstrat apud Athenienses remansisse vestigia veteris vocabuli πέμπε. Πλοῖ dicendum esse non πλόες, qua glossa Cobetus egregie usus est ad Platonem emendandum, utrum hoc docuisse putas Dionysium an Boethum? Alia glossa est Τέφραν καὶ σποδὸν λέγουσιν Ἀττικοὶ καὶ Πλάτων εἴρηκε τέφραν ἐν Λύσιδι. Mecum agnoscis eam Dionysii manum, quae in Photii lexico sexcenties pellucet. Observatio est τυραννεύσασαν· οὐ μόνον τυραννήσασαν· καὶ Πλάτων καὶ ἕτεροι τῶν παλαιῶν, nempe intelligitur Phaedr. p. 238 B. Ex hoc loco et permultis aliis apud Photium discere poteris, si nondum observaveris, Eustathium cum *veteres* laudat quod saepissime facit, non eos intelligere qui sibi veteres viderentur, sed qui iam *veteres* haberentur Hadriani tempore. Facit hoc ad multos locos recte intelligendos.

Longa est et docta observatio in Photii lexico de voce φαῦλον. Hanc Boethi esse persuadebit Schol. Plat. Alcib. II. 147 D. Ea vero quae praecedunt Dionysium auctorem habent: ἡμεῖς μὲν ἐπὶ τοῦ κακοῦ καὶ μοχθηροῦ τάσσομεν· παρὰ δὲ Πλάτωνι καὶ τοῖς ἄλλοις Ἀττικοῖς σημαίνει τὸ ἁπλοῦν καὶ ῥᾴδιον καὶ τοῖς

λοιποῖς, ubi nota illud ἡμεῖς quo indicio saepe Dionysio suum restitues.

Venio nunc ad Thucydidem, in quo interpretando Pausanias sed imprimis Dionysius multam operam posuerunt. Primum evolvamus Eustathium. Prima adnotatio quae Thucydidem spectat, legitur p. 166. 18 ubi Dionysius e Thucydide affert παssυδί. Locus paulo plenior exstat apud Photium, ad quem vide Cobetum in Mnem. X. p. 93. Sequitur p. 527. 18 Thucydideum ἐμπαλαssόμενοι quod Dionysius exponit ἐμπλεκόμενοι, περιπειρόμενοι δόρατι, φυρόμενοι. Legitur VII. 84. P. 735. 50 idem docet apud Thucydidem II. 49 legi πελιτνόν non πελιδνόν, quae scriptura confirmatur Alexidis versu apud Athen. III. p. 107 D. — P. 862. 38 Dionysius explicat e Thucydide VII. 25 quid sit ὤνευον, cf. Suidam. Indidem sua habet Phrynichus Bekk. p. 57. 21, ut ostendemus. — Agit Dionysius p. 907. 40 de vocabulis κῆποι, κηπίον, κηποκόμας, σκαφιόκουρος et σκαφίον κείρεσθαι. Quaedam supersunt apud Photium v. κῆπος et σκαφίον ἀποκεκαρμένην, sed quod e Thucydide affert κηπίον, hoc errori deberi suspicor. — Utilis est Dionysii observatio de adjectivo σῶς p. 959. 42 et diserte affirmat se invenisse scriptum σῷ apud Thucydidem I. 74. Vide eandem observationem apud Photium in v. σᾶ· τὰ σῷα et σῷ. Sed praecedit apud eum σᾶ· περισπωμένως τὰ σῷα· εἴρηται δὲ ἐπὶ θηλυκοῦ σᾶ, ἡ πόλις· οἷον σῴα ἡ πόλις. Haec autem glossa non Aelii Dionysii est, sed Boethi, quod efficio collato Scholio ad Plat. Criti. 111 C, quod satis accurate convenit. Sed miraris ἐπὶ θηλυκοῦ dictum fuisse σᾶ ἡ πόλις; scilicet Boethus Dionysium inspexit, qui attulerat duos Aristophanis senarios, quorum in altero legitur οὕτω γὰρ ἡμῖν ἡ πόλις μάλισα σῶς ἂν εἴη, ubi metrum formam σᾶ respuit; in altero ἡ μᾶζα γὰρ σᾶ καὶ τὰ κρέα χὠ κάραβος, unde sumsit Boethus σᾶ ἡ πόλις, utroque loco confuso. Ceterum de hac feminini forma vide Cobetum in Mnem. X. p. 92, qui si Platonis Scholiastae memor fuisset, hunc locum ne attigissem quidem. Nunc verbo indicabo quae mihi vera scriptura videatur in Platonis loco quem laudavi, ubi hodie legitur: χρόνος δ' οὐ πάμπολυς ὅτε δένδρων αὐτόθεν εἰς οἰκοδομήσεις τὰς μεγίσας ἐρεψίμων τμηθέντων sεγάσματ' ἐsὶν ἔτι σᾶ. Vide de hoc loco virorum doctissimorum sententias apud Stallbaumium, qui

tamen nondum aliquid attulerunt quod satisfaciat ad ultimorum verborum emendationem. Ruhnkenius scribit ἦν pro ἐϛίν et certe sensus verborum hoc requirit, sed emendatio corruptelae originem non patefacit. Conieci: ἐϛὶν ἃ ἔτι ἦν σᾶ. Quum vocula ἃ excidisset, supervenit librarius qui ἦν quoque expunxit. Locutionem tamen restituere potuerat ex iis quae proxime praecedunt: τῶν γὰρ ὀρῶν ἐϛιν ἃ νῦν μὲν ἔχει μελίτταις μόναις τροφήν κτἑ.

Sed redeo ad Dionysium qui p. 1390. 50 e Thuc. IV. 26 affert μήκωνα μεμελιτωμένην et p. 1450. 32 ἐν χρῷ παραπλεῦσαι e Thuc. II. 84. Pausanias Thucydidi multo rarius testimonium denunciat. Illos locos observavi:

Eustathius p. 965. 45 e Thuc. IV. 25 laudat verbum ἀποσιμῶσαι, sed locus partim plenior exstat in sexto lexico Bekk. p. 434. 22. P. 1221. 25 Eustathius refert Pausaniam bis dixisse de vocabulo δελφίς, nempe in utraque recensione quam infra attingemus; tum addit *aliorum* opiniones. Haec sunt Eustathii verba: ἰϛέον δὲ ὅτι παρὰ τῷ Παυσανίᾳ Φέρεται δελφὶς ὄργανον πολεμιϛήριον πρὸς ναυμαχίαν, ὅθεν καὶ δελφινοφόρος ναῦς παρὰ Θουκυδίδῃ (VII. 41)· καὶ δελφῖνα δὲ ναύτην (An ναῦται?) Φασὶν ὃς πρὸς ἰϛοῖς ἐκρέματο τοῖς μὲν σιδηροῦς τοῖς δὲ μολυβδοῦς καταράκτης εἰς τὰ λῃϛρικὰ πλοῖα· μνεία δὲ τοῦ τοιούτου δελφῖνος καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ (Eq. vs. 762) καὶ ἑτέροις· ἀλλαχοῦ δὲ περὶ τοῦ αὐτοῦ γράφει ὁ ῥηθεὶς ὅτι ὁ δελφὶς ὁ καλούμενος κερκέτης ἐϛὶ μηχάνημα σιδηροῦν ὃ ἐξαρτᾶται τῆς νεὼς ὅταν ᾖ ἄνεμος πρὸς τὸ ἀντέχειν· ἄλλοι δέ Φασιν ὄργανον μολυβδοῦν πρὸς ναυμαχίαν. Si contuleris Suidam quem Photium sequi novimus, videbis eum verosimiliter servasse Pausaniae doctrinam secundum priorem recensionem et *aliorum* illorum sententiam. Alter est altero plenior. — Refert Eustathius p. 1425. 56 de vocula ἀνακῶς de sententia Dionysii et Pausaniae, quorum hic affert Herodt. I. 24 et Thuc. VIII. 102. Pauca tantum supersunt apud Suidam et in sexto lexico Bekk. p. 391. 6. Denique p. 1282. 47 in adnotatione de voce κοτύλη Eustathius affert κοτύλην ὕδατος καὶ δύο κοτύλας κριθῶν e Thuc. VII. 87 ubi tamen pro κριθῶν legitur σίτου, sed unde Eustathius hoc habeat, incertum est.

Cum his fragmentis componemus Photium ut pateat quam

rationem in Thucydidis interpretatione veteres grammatici secuti sint. Notant v. c. eum dixisse ἐφθάραται, τετάχαται, ἑώρων, καθαιρήσετε non καθελεῖτε, κέρας κέρως κέρᾳ, μαλακὸς non μαλθακός, μεταχειρίζειν non μεταχειρίζεσθαι, ξὺν non σύν, πανσρατιᾷ, παράλογος masc. gen., παροκωχή, denique διεζωμένοι in glossa σέσωται. Docemur quid sit ζεῦγμα, κρώβυλος, κωλύμη, κλυδώνιον, κωπῆρες, λαμπρῶς, μάλισα, νέμεσθαι, ὁμωχέτας, παραβεβάσθαι τὰς σπονδάς, παραυτίκα, περίνεως, περιορᾶσθαι, πρόσοδος, πρωτόνεως, πρότριτα, πομπήν, περιοίσειν, ῥαχίαν, σκῦλα, σῖτος, cet. Coniunguntur Homerus et Thucydides in glossis ἀγῶνα, οὔπως, παραβάλλεσθαι, πολεμησείειν. Comici dicunt εὐπραξία, Thucydides εὐπραγία. Archippus Araros Thucydides scribunt ἔωθα non εἴωθα. Tragici et Thucydides κλῇσαι. Coniungitur Thucydides cum Aristophane v. κώμην, cum Menandro v. πέμπειν, cum Platone Comico et Sophocle v. παρουσία, cum Cratino Eupolide et Aristophane v. προσίσχε, cet. Exscribam aliquot glossas insigniores ut morem cognoscas. Περιωπή καὶ πισύνη καὶ πύσις· πάντα ταῦτα γλωττώδη παρὰ Θουκυδίδῃ· καλεῖ δὲ τὴν περιωπὴν τὴν Φροντίδα καὶ τὴν περίσκεψιν οὐ τὸν τόπον ὡς Ὅμηρος. Intelligitur Thuc. IV. 86. V. 14. I. 136. Πιθανούς· τοὺς εὐπειθεῖς· Ξενοφῶν Κύρου Παιδείᾳ (II. 2. 10)· πιθανοὶ δὲ οὕτως εἰσί τινες ὥσε πρὶν εἰδέναι τὸ πραττόμενον (leg. προσταττόμενον) πρότερον πείθεσθαι· ὥσπερ Φοβεροὺς· τοὺς Φοβουμένους· Θουκυδίδης (II. 3). Πιθανώτατος τοῖς πολλοῖς· ὁ πιστικώτατος καὶ πείθων τοὺς πολλοὺς παρὰ Θουκυδίδῃ (VI. 35). Φοβερός· ὁ Φοβούμενος παρὰ Θουκυδίδῃ καὶ Φερεκράτει. Προβάλλεσθαι· ἀντὶ τοῦ προτείνεσθαι· tum sequitur locus excerptus e Thuc. I. 73 sed corruptus; subiungit: καὶ ὁ ῥήτωρ· τὴν ἀειλογίαν ὁρῶ ἀεὶ προβαλλομένους, nempe Dem. de Fals. Leg. § 2 ubi glossema προτεινομένους in locum genuini vocabuli irrepsit. Itidem in voce ὑποκρίνεσθαι laudatur corrupta Thucydidei Codicis lectio.

Fieri sane potest ut inter laudatas glossas quaedam sint e Pausaniae lexico desumtae, sed qui cognorit morem Dionysii, mihi adsentietur huic tantum non omnia reddenda esse. Afferam huius rei etiam aliud argumentum. Supra dixi Boethum usum fuisse Dionysii lexico: iam operae pretium est videre lacinias doctrinae Aelianae receptas a Scholiasta Platonis, qui

Boethum exscribit. Quod verbi causa Scholiasta habet ad Sympos. p. 205 A. de voce τέλος, partim convenit cum Photio; decerptum esse e Dionysio a Boetho, fidem faciet Eust. p. 881. 25. Adnotatio est de voce καταντικρύ ad Charmid. p. 153 A. Boethum excerpsisse Dionysium et ex ipsa re apparet et e Photio qui pauca verba servavit quae e Theaet. p. 194 B. desumta sunt. Vide Homeri Demosthenis et Thucydidis consociata nomina prorsus de more Dionysii. Idem usu venit in Schol. ad Plat. Gorg. p. 448 A.

Modo videbamus Dionysium attigisse quoque Demosthenem. Sic in interpretando nomine ῥῶπος ap. Eust. p. 927. 53 Oratorem affert; hinc ei reddes quae apud Photium leguntur v. ἐρρωπίζομεν et ῥῶπος. Alibi apud Eust. p. 1881. 1. Pausanias mentionem facit τῆς ψιθύρου Ἀφροδίτης e Demosthenis quae fertur Oratione contra Neaeram, cet. Itaque apud Photium saepius Demosthenes explicatur; hinc repetendum est si quando Boethus Oratori testimonium denunciat. Compone v. c. Schol. Plat. Alcib. II. p. 147 D. et Photium v. φαῦλον: uterque et alios laudat et Demosthenem, sed videbis alterum alterum supplere. Itidem in Scholio ad Phaed. p. 72 C. e Boetho multo plura supersunt quam nunc apud Photium leguntur v. ὁμοῦ. Quod breviter Suidas adnotavit de voce ἄττα, id explicate Schol. Soph. p. 220 A. Convenit Schol. Rep. I. p. 344 A. cum Phot. v. ὅσια. Sed fateor, de hìs postremis dubitatio oriri potest. Operae pretium igitur est locum videre quem Boethus certo certius illinc habet. Tradit Photius, e Dionysio opinor: ὑποκοριζόμενοι· διασύροντες. Ξενοφῶν φησίν· οἱ δὲ μισοῦντές με ὑποκοριζόμενοι ὀνομάζουσι Κακίαν· ὁ δὲ Δημοσθένης ἐχρήσατο τῇ λέξει ἐπὶ τοῦ εὐφημοῦντες καὶ τὸ αἰσχρὸν εὐφήμως ὀνομάζοντες· λέγει γὰρ ἐν τῷ παραπρεσβείας· αὐθαίρετον αὐτοῖς ἐπάγονται δουλείαν, Φιλίππου ξενίαν καὶ ἑταιρίαν καὶ τὰ τοιαῦτα ὑποκοριζόμενοι. Laudantur Xen. Mem. II. 1. 26 et Dem. de F. L. § 259. In Xenophontis loco doctissimi viri suspicati sunt verbum ὑποκοριζόμενοι corruptum esse. Mihi, fateor, non videtur et ὑποκορισμοῖς eius generis omnes saepe utimur, mulierculae praesertim ut prolis insanum amorem testentur. Nuper aderam cum Galla quaedam filiolam *petite effrontée* appellaret et locuples imprimis auctor est Effenius nostras olim in his terris, nam nunc

mores emolliti sunt, matres filiolas blando nomine *meretricu-las* appellare solitas fuisse. Hoc sensu ὑποκοριζόμενοι mihi apud Xenophontem festivissimum videtur. Ut ut est, hoc certe constat huic loco διασύροντες quodammodo convenire; alibi haud facile quis ea interpretatione uti potest. Nunc Platonem compone Rep. III. p. 400 E.: ἄνοιαν οὖσαν ὑποκοριζόμενοι καλοῦμεν ὡς εὐήθειαν. Ad hunc locum Scholiasta, id est Boethus, adnotat: διασύροντες, ὡς Ξενοφῶν· ἢ τὸ αἰσχρὸν εὐφήμως ὀνομάζοντες, ὡς Δημοσθένης. κολακεύοντες, ὑποκοριζόμενοι. Hunc solum locum si rite perpenderis, videbis satis esse ad causam obtinendam.

Saepe Dionysius utitur Herodoti locis, saepe Xenophontis, saepissime Menandri, quem prae omnibus eum dilexisse apparet. Continebo me inter Eustathium, qui Menandrum laudat secundum Aelium Dionysium, p. 809. 42: λυκοφίλιοι μέν εἰσιν αἱ διαλλαγαί. P. 1647. 58 ἐξακεῖσθαί μοι δοκῶ τὸ δίκτυον. P. 1822. 43: ἔγωγ' ἐπίσαμαι ῥινᾶν, cf. p. 1161. 29, 1417. 18, alibi. Multi quoque loci sunt apud Photium, quos nullo negotio conquires, sed plurimi in sexto lexico Bekk.

Nunc monendum est, ut cognoscatur ratio Atticistarum, quam Dionysium quoque secutum esse suspicor, eos subinde ut grammatices studium exhilararent, adspersisse narratiunculas non admodum quidem salsas sed idoneas. Huius rei exemplum est apud Photium in voce θεριῶ, ubi docet δανειῶ et similia barbara esse: τοὺς Ἀθηναίους φασὶ ἀθρόως εἰς ἐκκλησίαν συναθροισθέντας ἐπὶ τῶν διαδόχων, ἐπειδὴ εἰς ἀπορίαν καθεισήκεσαν χρημάτων· ἔπειτά τις αὐτοῖς τῶν πλουσίων ὑπισχνεῖτο ἀργύριον οὕτω πως λέγων ὅτι ἐγὼ ὑμῖν δανειῶ, θορυβεῖν καὶ οὐκ ἀνέχεσθαι λέγοντος διὰ τὸν βαρβαρισμόν, καὶ οὐδὲ λαβεῖν τὸ ἀργύριον ἐθέλειν, ἕως αἰσθόμενος ὁ μέτοικος ἢ καὶ ὑποβαλόντος αὐτῷ τινός, ἔφη· δανείσω ὑμῖν τοῦτο τὸ ἀργύριον· τότε δὲ ἐπαινέσαι καὶ λαβεῖν. Compone narratiunculam apud Athen. III. p. 97, quam non gravabor adscribere. Ibi conviva hoc modo ridet Ulpianum: Ἄλλοτε δὲ προσέπταισε λίθῳ καὶ τὴν κνήμην ἔλυσε· θεραπευθεὶς οὖν προήει καὶ πρὸς τοὺς πυνθανομένους Τί τοῦτο Οὐλπιανέ; ὑπώπιον, ἔλεγε. Κἀγὼ, ξυνῆν γὰρ αὐτῷ, τότε τὸν γέλωτα φέρειν οὐ δυνάμενος, παρὰ τινὶ τῶν Φίλων ἰατρῷ ὑπαλειψάμενος τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς παχεῖ Φαρμάκῳ, πρὸς τοὺς πυνθανομένους Τί δὲ σύ; πρόσκομμα, ἔφασκον. Tales facetiae nobis qui-

dem non admodum placent et veteres salsius iocantur quam Graeculi. Eadem tamen narratio impense placuit Eustathio; vide archiepiscopum p. 914. 38.

Nunc utendum est Cobeti observatione qui Mnem. X. p. 57 exemplis demonstrat omnia ea Aelii Dionysii esse ubi apud Photium invenias simpliciter dictum λέγουσι aut καλοῦσι. Parco verbis sed utar locis infinitis, quos ea ratione constat Dionysii esse, ad demonstrandum quam viam sequatur in Attica dialecto explicanda. Probat εὐθενεῖν non εὐθηνεῖν· ἐχθές et χθές· commendat ἔωθα non εἴωθα, ἐώθουν non ὤθουν, ἐώρων non ὦρων, ἐωράκη non ἑωράκειν. Probat et notat Attica vocabula ἐρανιστής, ἐργολαβῆσαι, ἔρκη, ἐρυγγάνειν, cum aequales ἐρεύγεσθαι dicerent. Tradit quid sit ἐτνήρυσις, εὐγνώμων, εὔηθες. Atticum est εὕρημα non εὕρεμα. Εὐώνυμον aeque probum est atque ἀριστερόν. Ἔφηβος de virgine quoque dicitur. Κακκάβη Atticum est non κάκκαβος. Κέδρον neutrum est et plura id genus notavit. Commendat λαμπρὰν ἡμέραν non καθαράν, λίτρον non νίτρον, λοῦσθαι non λούεσθαι, μαῖα non ὀμφαλητόμος. Probat utrumque μάκτρα et κάρδοπος, μαλακὸς et μαλθακός, μελάγχρως et μελαγχρής, μέμψις et μομφή· Atticum est νεᾶν non νεοῦν, νεάτη non νήτη, νῆν et νήθειν, νουθετία et νουθετησμός, ξηρὸν et αὗον, ὁ ξύμβολος non τὸ ξύμβολον, ξύνδυο et ξύντρια, ξυρεῖσθαι non ξυρᾶσθαι, ξύσρα et σλεγγίς, ὄζειν et ὀδωδέναι, ὀλαὶ non οὐλαί. Utrumque probum est ὀμνύειν et ὀμνύναι, quam sententiam non miraberis Dionysii esse, qui Menandrum tanto studio prosequeretur. Possum plura exempla addere, sed satis haec sunt ad intelligendum grammaticum multa quidem, nec tamen omnia, rectissime praecepisse, sed nunquam late patentem analogiam agnovisse et substitisse in singulis notandis.

Opponuntur in talibus observationibus, quarum ingens copia est, ἡμεῖς et οἱ παλαιοὶ vel ἀρχαῖοι· sed miraberis fortasse Atticos ibi Ἕλληνας quoque dici. Moeris certe aliter. Photius: Εὐθὺς καὶ εὐθέως· ἀμφότερα Ἑλληνικά —. Ἐχθὲς καὶ μονοσυλλάβως χθές· ἄμφω Ἑλληνικά —. Ἠπήτην· οὐδεὶς εἴρηκε τῶν Ἑλλήνων —. Καμάριον· — Ἑλληνικὸν τὸ ὄνομα. Ὀρθοπύγιον· παρ' οὐδενὶ τῶν Ἑλλήνων. Οὐχὶ καὶ ναίχι Ἑλληνικά. Πλείω καὶ πλέω· ἄμφω Ἑλληνικά. Contra πόρδαλιν οἱ ἄλλοι Ἕλληνες, Ἀττικοὶ πάρδαλιν. Similiter in sexto lexico Bekk. p. 421. 3

ἀπελεύθερος· Ἑλληνικὸν τὸ ὄνομα. p. 446. 16. ἀρρωδεῖν· τὸ δεδοικέναι· καὶ διὰ τοῦ ο· μᾶλλον δὲ τοῦτο Ἑλληνικόν. p. 456. 27. ἀσφάλεια μέν καὶ ἀσφαλὲς Ἑλληνικά, τὸ δὲ ἀσφαλίζεσθαι βάρβαρον, cet. Multa ex his Aelii Dionysii esse, non est dubium; eodem modo certe Eustathius p. 1773. 30: Αἴλιος Διονύσιος γράφει ὅτι καὶ τὸ οἶσθα καὶ τὸ οἶσθας ἄμφω Ἑλληνικά, caet. quae compone cum Photio v. οἶσθα. Non debebat de hoc usu dubitare Piersonus Moer. p. 283.

De duplici recensione Dionysii infra agam.

§ 5.

De Pausania.

Pergit Photius in Bibliotheca, postquam retulit de Dionysii lexico: Ἀνεγνώσθη δ' ἐν τῷ αὐτῷ τεύχει Παυσανίου λεξικὸν κατὰ στοιχεῖον, οὐδὲν ἔλαττον τῶν προειρημένων εἰς τὰς Ἀττικὰς συναναγνώσεις χρήσιμον, εἰ μὴ καὶ μᾶλλον· εἰ γὰρ καὶ ταῖς μαρτυρίαις ἐνδεέστερον ἔχει, ἀλλ' οὖν ἔν τισι τῶν στοιχείων πολὺ ταῖς λέξεσι πλεονάζει, ὡς ἀμφοτέραις ἅμα ταῖς Αἰλίου Διονυσίου Ἁλικαρνασσέως πραγματείαις, καίτοι τῶν χρήσεων ἐπ' ἔλαττον ὡς ἔφημεν ἀπτομένην, ἐξισάζεσθαι τῷ τῆς γραφῆς ὄγκῳ· εἰ δέ τις ἐκείναις ταῖς δυσὶν ἐκδόσεσιν καὶ τὴν Παυσανίου ἐγκατατάξας ἓν ἀπεργάσαιτο σύνταγμα, ῥᾷστον δὲ τῷ βουλομένῳ, οὗτος ἂν εἴη τὸ κάλλιστον καὶ χρησιμώτατον τοῖς ἀναγινώσκουσι τὰς Ἀττικὰς βίβλους σπούδασμα εἰσενεγκάμενος. Si quis Pausaniae fragmenta quae Eustathius servavit cum Photii lexico contulerit, statim videbit illud ipsum praestitisse Photii amanuensem, quod eum audivimus aliis suadentem. Hoc quoque colliges ex Eustathii excerptis, saepe Dionysium et Pausaniam si non eadem, certe simillima tradidisse, quod quomodo explicandum sit, liquido definiri nequit, cum praesertim de Pausania tam pauca constent, nam nulla idonea causa est cur eundem esse putemus quem inter Sophistas recenset Philostratus. Hinc factum est ut in Photio saepe incerti haereamus utrum glossa Dionysio reddenda sit an Pausaniae, praesertim quotiescumque Patriarcha, quod facit locis prope infinitis, bis fere eadem tradat. Valet hoc imprimis de illis observationibus quibus ius Atticum expli-

catur, sed has recensebo ubi disputatio ad Harpocrationem pervenerit. Non certior res est in locis de festis Graecorum. Hoc argumentum Dionysium tractasse Photius in Bibliotheca auctor est, sed Eustathius p. 1283. 6 ubi tradit quid sint Πυανέψια, qui unicus apud eum locus est, qui ad hoc argumentum pertinet, non Dionysium sequitur sed Pausaniam. Paulo maiore evidentia Dionysio reddes adnotationes de mensium nominibus. Sed Pausanias nulla re melius de literis Graecorum meruit quam proverbiis enarrandis. Iam demonstrandum nobis erit Photium praeter interpretationes proverbiorum quae apud Platonem occurrunt quas verosimiliter Boetho debet, cetera a Pausania accepisse, paucis quibusdam proverbiis exceptis quae Dionysii sint. Ad hanc demonstrationem minime opus est ut omnia repetamus quae de paroemiographis in praefatione prioris voluminis erudite disputavit Schneidewinus, sed sunt tamen quaedam illinc afferenda.

Exceptis philosophis Aristotele, Theophrasto, Clearcho, Chrysippo; qui primus proverbia singulari doctrina enarravit Demo fuit, quem Schneidewinus scripsisse credit circa Olymp. CXVIII, scilicet non diversum ab Atthidis auctore. Quod autem supra feci cum de Didymo sermo esset et longum ex eius operibus qui solus integer superesset, locum describerem ut eius studia cognoscerentur, idem nunc faciam laudato Schol. Eur. Rhes. v. 244: Τῆς ἔσχατος Μυσῶν παροιμίας μέμνηται Φιλήμων ἐν Σικελικῷ·

τὸ δὴ λεγόμενον τοῦτο Μυσῶν ἔσχατον
ἐνόμιζ' ὁρᾶν τὸν υἱὸν ἐκπλέοντ' ὁρῶν.

καὶ Μένανδρος·

εἰ μὴ γαμεῖς γὰρ ἔσχατον νόμιζέ με
Μυσῶν

κέχρηται δὲ καὶ νῦν Εὐριπίδης παρὰ τοὺς χρόνους. Δήμων γοῦν ἐξηγούμενος περὶ αὐτῆς φησίν, ὡς ὕστερον τῶν Τρωικῶν λοιμοῦ καὶ φθορᾶς καρπῶν περιελήλυθυίας τὴν Ἑλλάδα, μαντευομένων περὶ τῶν παρόντων, χρῆσθαι τὴν Πυθίαν τηνικαῦτα παῦλαν αὐτοῖς τῶν δεινῶν, ἐπειδάν τινες τῶν ἀπ' Ἀγαμέμνονος ἐχόντων τὸ γένος πλεύσαντες εἰς Τροίαν τὰς πόλεις κτίσωσι καὶ τὰς τῶν θεῶν τιμὰς ἀναλάβωσιν, ἃς ἠφανίσθαι συνέβαινεν ὑπὸ τοῦ πολέμου. ταύτην τὴν μαντείαν παραδεξάμενον τὸν Ὀρέστην συνέβη λιπεῖν τὸν βίον.

μετὰ δὲ Ὀρέσην Τισαμενὸν λαβεῖν τὴν ἀρχὴν καὶ μετ' ἐκεῖνον Κομήτην· οὗ χρωμένου ποῖ δέοι πλεῖν, κατὰ γὰρ εὐλάβειαν καὶ δὶς καὶ τρὶς περὶ τῶν αὐτῶν ἐπανέρχεται, τοῦ θεοῦ δοθῆναι χρησμὸν ἐπὶ τὸν ἔσχατον Μυσῶν πλεῖν· κατολιγωρήσαντας δὲ, πολλῶν συνηθροισμένων, τοῦ χρησμοῦ ἀφίσασθαι καὶ τὸν Κομήτην καταλιπεῖν, μικρὸν πεφροντικέναι λέγοντας αὐτοῦ τε καὶ τοῦ Μυσοῦ ἐσχάτου· κατὰ τὴν ἐρχομένην γενεάν. ..... Πενθίλου πάλιν συναγείραντος τὴν στρατιὰν καὶ τοῦ θεοῦ τὸν αὐτὸν ἐπενεγκόντος χρησμόν, διὰ τὸ παράδοξον εἰς παροιμίαν διὰ τοῦτο περισῆναί φασιν. Εἰσὶ δὲ οἳ Τηλέφῳ γενέσθαι τὸν χρησμὸν τοῦτον· μαντευομένῳ γὰρ αὐτῷ περὶ γονέων, ἐπὶ τίνας ἂν τόπους πλανηθεὶς ἐξεύροι τοὺς αὐτοῦ γονεῖς, τὸν θεὸν προσάξαι ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν ἔσχατον Μυσῶν· ἀφικόμενον δὲ εἰς Τευθρανίαν, νέμεσθαι γὰρ τὰ χωρία ταῦτα Μυσούς, ἐπιτυχεῖν τῇ μητρί. Vides ne haec quidem quamquam satis copiosa, plene servata esse; nostros autem lexicographos a Demone pendere colliges e Photio in voce: Ἕλλησι λοιμῷ κρατουμένοις ὁ θεὸς ἔχρησεν ἐπὶ τὸν ἔσχατον Μυσῶν πλεῖν· οἱ δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἠπόρουν, αὖθις δὲ τὴν Αἰολίδα παρὰ τοῖς ἐσχάτοις τῆς Μυσίας εὗρον· ἔνιοι τὴν παροιμίαν ἔκ τινος χρησμοῦ λέγουσι Τηλέφῳ μαντευομένῳ γεγονέναι περὶ γονέων, ἐπὶ τίνας τόπους ἐλθὼν εὕροι τοὺς γονεῖς· τὸν δὲ θεὸν προσάξαι πλεῖν ἐπὶ τὸν ἔσχατον Μυσῶν· ἀφικόμενον δ' εἰς Τευθρανίαν, νέμεσθαι γὰρ ταῦτα τὰ χωρία Μυσούς, ἐπιτυχεῖν τῇ μητρί. τάττεται ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν δυσχερῆ ἐπιτασσομένων.

Demonem et alii secuti sunt et Aristophanes Byzantius et Aristides qui descripsit Polemonem; sed omnium laudes obscuravit Lucius Tarrhaeus, Didymo ut videtur paulo vetustior, quem Stephanus Byzantius laudibus extollit et ipse usurpavit. Duo supersunt Tarrhaei luculenta fragmenta, alterum apud Stephanum v. Δωδώνη, alterum ap. Schol. Rep. Plat. I. p. 337 A. Hic etsi multa et praeclara de suo adjecisse putandus est, sequebatur tamen alios qui scripserant ante se.

Tarrhaeum excepit Didymus quem Helladius in Photii Bibliotheca auctor est περὶ παροιμιῶν δεκατρία βιβλία συντεταχέναι πρὸς τοὺς περὶ παροιμιῶν συντεταχότας ἐπιγράψαντα αὐτά. In his libris igitur idem fecit quod in Commentariis Comicorum Poetarum, in quos congessit Lycophronis et Eratosthenis disputationes. Iam vide quid conjiciam. Habemus Zenobii libel-

BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA

lum sic inscriptum: Ζηνοβίου ἐπιτομὴ ἐκ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν συντεθεῖσα κατὰ στοιχεῖον. Vixit is secundum Suidam imperante Hadriano fuitque adeo aequalis Aelii Dionysii, cum grammatices studium Romae revivisceret. Qui liber hodie superest, partim ab librariis ad breviorem formam redactus est, partim distentus est supplementis noviciis, sed inscriptio permansit, ut vides. Iam si quaerimus quid probabile sit, quia ultra adscendere non licet, sponte ferimur ad conjecturam Didymi et Tarrhaei consociata nomina ea ratione accipienda esse, quam supra exposuimus: Zenobium usurpasse Didymum, praecipuum vero Didymi fontem fuisse Lucium Tarrhaeum.

Inter paroemiographos qui supersunt, principem locum tenet Zenobius ille; sequitur Diogenianus, qui in excerpendo Pamphilo vel si mavis Vestino, proverbia peculiari libello destinarat, quem tuto affirmare possumus incognitum fuisse Hesychio. Ex illo libro superest epitome Παροιμίας δημώδεις continens, h. e. ea proverbia quae vulgi usu recepta erant; sed παροιμίαν veteres dicebant quidquid invenirent, apud poetas praesertim, acute dictum et eleganti metaphora insigne, quamquam a vulgi usu prorsus alienum esset. Supersunt aliae proverbiorum collectiones e bonis fontibus ductae, — nam nunc nihil curo Apostolium cum filio Arsenio, alios — in Codicibus Vaticano, Bodleiano, Parisino, sed omnes nos ducunt eodem, h. e. ad Didymum χαλκέντερον. Hac maxime ratione multa explicare soleo, quae antea difficilia videbantur. Veluti in Zenobio 456 de proverbio quodam dicitur: αὕτη παρ' οὐδενὶ τῶν ἀρχαίων ἐσί· h. e. nemo ante me adnotavit et explicuit. Habet tamen Athenaeus IX. p. 392 D. Scilicet primus adnotarat Didymus, hinc receperat Pamphilus, hinc Athenaeus habet. Zenobius autem describit Didymum ipsum. Quod autem dixi illas proverbiorum collectiones non tantum redactas esse ad breviorem formam, sed etiam recentiorum supplementis auctas esse, hoc plerumque facile est agnoscere, quum tempora haud parum recentiora respiciuntur vel proverbia recensentur e Sacra Scriptura desumta. Aliud argumentum est, quo viri docti nondum usi esse videntur, inter haec proverbia multos ferri versiculos contra artem compositos, ex. gr.

Zenob. 229: Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον.
Diogen. 297: Γραῦς ἀνακροτήσασα πολὺν κονιορτὸν ἐγείρει.
578: Ναῦς ἡ παλαιὰ πόντῳ οὐχὶ πλωσίμη.
745: Τὸν καπνὸν φεύγων εἰς τὸ πῦρ ἐνέπεσον.
775: Ὤδινεν ὄρος εἶτα μῦν ἀπέτεκεν.

In Proverbiorum Appendice:

73: Γέρων ἐρινὸς εὐφραίνει τοὺς γείτονας.
132: Εἰς τὴν πυγὴν ἐξερρύηχ' ἡ σοφία.
137: Ἕκαστος τὸν ἑαυτοῦ ὀβελίσκον τρέφει.
187: Εὖ μὲν ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὖν.
227: Ἵνα μὴ φάγῃς σκόροδα μηδὲ κυάμους.
276: Λύκος λέοντι συμβάλλει πεφραγμένῳ.
306: Νέοις μὲν ἔργα βουλὰς δὲ γεραιτέροις.
331: Ὀξύτερον οἱ γείτονες βλέπουσι τῶν ἀλωπέκων.

Gravius etiam peccatur:

95: Δελφοῖσι θύσας αὐτὸς οὐ φαγῇ κρέας.

Sed redeo ad propositum. Scilicet Eustathius docebit plurima proverbia docte interpretatum fuisse Pausaniam, pauca tantum Dionysium. Hinc sua habet Photius; in quo argumento ne hoc quidem nihili est quod Photius in Bibliotheca de Pausania tradit quod supra vidimus: *εἰ γὰρ καὶ ταῖς μαρτυρίαις ἐνδεέστερον ἔχει, ἀλλ' οὖν ἔν τισι τῶν στοιχείων πολὺ ταῖς λέξεσι πλεονάζει.* Hoc quoque confirmabit Photii lexicon, nam in litera N unicum tantum habemus proverbium, in litera Π non admodum multa, contra in literis O et T plurima. Habet autem Pausanias proverbia indidem atque ceteri omnes, sed utrum Didymum ipsum adierit an Diogenianum, non definio. Haec igitur sunt quae nominatim ex eo laudat Eustathius.

Pag. 278. 3 Pausanias copiose interpretatur proverbium *ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ·* plenius tamen locum servavit Suidas qui Photium sequitur ut opinor. Indidem atque Pausanias sua habet Zenob. pr. 117. Pauca supersunt apud Photium v. *Σάγρα.*

Pag. 286. 18. exponit quid sit *Ἀργεία Φορά.* Similiter Hes. et Diogen. 179. At Suidas: *Ἀργεῖοι φῶρες·* latet aliquid quod non exputo.

Explicat Eustathius p. 298. 2 proverbium *Θάμυρις μαίνεται·* tum addit Pausaniam scribere et interpretari *Ἄμυρις μαίνεται.* Conveniunt Suidas et Diogen. pr. 226. Cod. C. Vide quoque Athen. XII. 520 A.

Acutissime disputavit Cobetus in Commentatione de Platone Comico p. 108 de proverbio Ἀρκάδας μιμούμενος. Explicat quid sit Eustathius p. 302. 27 secundum Pausaniam; tum similia affert secundum ἕτερον ῥήτορα, quem Dionysium fuisse crediderim. Pausaniae interpretationem recepit Photius eaque nunc superest apud Suidam. Alii brevius ut Zenob. pr. 159 et lex. rhet. Bekk. p. 218. 19. Hic notabis usu venire quod modo dicebam; non erat locutio Ἀρκάδας μιμεῖσθαι usu populi receptum, sed grammatici adnotarant lepidam metaphoram qua Plato traduxerat aemulum poetam Aristophanem.

Affert Pausanias p. 326. 39 Eust. illud distichon:

Ἀδμήτου λόγον ὦταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγη χάρις.

quod Athenaeus quoque habet XV. p. 695 C, ut explicet quid sit Ἀδμήτου μέλος et addit aliis Alcaei carmen videri, aliis Sapphus, aliis Praxillae Sicyoniae. Parum restat apud Suidam et Zenob. pr. 18.

Quid sit Θετταλῶν σόφισμα Pausanias docet p. 331. 14. Indidem eadem habet Photius, sed pro Αἰάτῳ Eustathius Ἀράτῳ habet, Photius Ἀρατίῳ, ut intelligas quam vetustum vitium sit. Cf. Zenob. pr. 329. Quod sequitur e Pausania ductum apud Eustathium Ἔμβαρος εἶ, id itidem habet Suidas. Similia App. Provv. 154.

Pag. 355. 38 videbis quae sit Ἀδράσεια secundum Pausaniam. De eodem argumento alia Harpocration habet, Suidas plura ut videtur e Pausania servavit.

Pag. 357. 4 explicatur proverbium μὴ εἰκῇ τὴν Ἄβυδον. Eandem Pausaniae doctrinam vide in sexto lexico Bekk. p. 322. 32.

Notissimum est proverbium ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον, quod Pausanias interpretatur apud Eustathium p. 368. 29. Plura Zenob. pr. 259 et Schol. Plat. Lach. p. 187 B.

Explicat Pausanias p. 403. 6 unde ductum sit ἄρισα χωλὸς οἰφεῖ· compone Suidam et Diogen. pr. 102. Cod. C.

Pag. 408. 4 exponitur proverbium δόρυ καὶ κηρύκειον. De quo postquam Eustathius secundum Pausaniam retulit, addit: ἐν ἑτέρῳ δὲ ῥητορικῷ λεξικῷ γράφει ὡς ὑπὸ Ταναγραίων πολεμούμενοι Γεφυραῖοι προέπεμψαν κήρυκα καὶ κατόπιν καθώπλισαν ἑαυτοὺς κἀντεῦθεν ἡ ῥηθεῖσα παροιμία, quae si cum superioribus

contuleris, videbis Eustathium non tantum habuisse duplicem recensionem Aelii Dionysii sed Pausaniae quoque, de quo argumento infra videbimus. Suidas pleniorem Pausaniae recensionem sequitur. Breviter Zenob. pr. 226. cf. Phot. v. τοκάδα.

Pag. 782. 52 invenies Pausaniam interpretari quid sit ἀρχὴ Σκυρία. Quae ibi desunt, supplebit Suidas. Breviter Zenob. pr. 32.

Operae pretium est describere p. 787. 8: ἰσέον δὲ ὅτι ἐν τοῖς τοῦ Παυσανίου φέρεται ὡς τὴν δορὰν ἀσπάθητόν τινες εἶπον χλαῖναν ὅ ἐσιν ἀνύφαντον· καὶ ὅτι ἐκ τῆς λεοντῆς ἡ κατὰ τὸν λέοντα παροιμία τὸ ξυρεῖν λέοντα ἐπὶ τῶν ἀδυνάτοις ἐπιχειρούντων· καὶ τοῦτο μὲν διὰ τὴν γενναιότητα τοῦ λέοντος ὃν οὐκ ἂν ξυρεῖν τολμήσαι τις· τὸ μέντοι πόκους ὄνου ἄλλον τρόπον ἀδύνατόν ἐσι διὰ τὸ μὴ εἶναι πέκεσθαι τὸν ὄνον· ὅμοιον δέ πως καὶ τὸ ἀσκὸν δέρειν· οὐ γὰρ ἐξ ἀσκοῦ δέρμα ἕτερον ἀποσυρήσεται. Itaque quod lex. rhet. Bekk. habet p. 453. 18 ἀσπάθητον χλαῖναν· ἀνύφαντον, e Pausania est: dixit autem Sophocles cf. Poll. VII. §. 36. Proverbia vide apud Photium v. λέοντα ξυρᾷς· παροιμία λεγομένη ἐπὶ τῶν τὰ ἀδύνατα ἐπιχειρούντων et ὄνου πόκοι· παροιμία ἐπὶ τῶν ἀνηνύτων ὥσπερ αἱ τοιαῦται· πλίνθον πλύνειν, ἀσκὸν τίλλειν, χύτραν πλύνειν. sed malim χύτραν ποικίλλειν ut recte scribitur in glossa quae mox sequitur, desumta ut opinor ex priore Pausaniae recensione· ὄνου πόκαι (de qua forma vide HSt.)· ἐπὶ τῶν ἀνηνύτων καὶ τῶν μὴ ὄντων λέγεται ἡ παροιμία ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν, ὥσπερ αἱ τοιαῦται· πλίνθον πλύνειν, ἀσκὸν τίλλειν, χύτραν ποικίλλειν, εἰς κοπρῶνα θυμιᾶν. Ἀρίσαρχος δὲ (an Ἀριστοφάνης?) διὰ τὸ Κρατῖνον ὑποθέσθαι ἐν Ἅιδου σχοινίον πλέκοντα, ὄνον δὲ τὸ πλεκόμενον ἀπεσθίοντα οἷον ἀποκείροντα.

Pausanias p. 836. 44 adnotavit proverbium ἐν ὅλμῳ ἐκοιμήσω. Similia Suidas et plura ap. Zenob. pr. 263.

Pag. 897. 55 Eustathius e Pausania exscribit locutiones σφηκιὰν ἐκίνησας et εἰς μελίττας ἐκώμασας. Alterum proverbium indidem habet Suidas, cf. Zenob. pr. 253.

Cratinus dixerat δωροδοκούντων αἶγ' οὐρανίαν. Quaerebant grammatici quid hoc esset. Cum Hesychio h. e. cum Diogeniano convenit grammaticus ap. Photium in v. οὐρανία αἴξ, quem Dionysium esse suspicor. Aliter Pausanias ap. Eust. p. 917. 46, quocum partim convenit Suidas. Cf. Zenob. pr. 26.

Itidem e Cratino est βοῦς ἐν αὐλίῳ (κάθῃ) quod Pausanias notavit p. 962. 16.

De proverbio λευκὴ σάθμη dixerunt Pausanias et Dionysius, ille p. 1022. 65, hic p. 1531. 63. Photius Pausaniam sequitur. Cf Zenob. pr. 389.

Docet Pausanias p. 1165. 6 quomodo factum sit ut βοῦς ἕβδομος diceretur ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων. Locus plenior exstat apud Suidam, qui et alteram glossam habet cum eodem lemmate, quam Dionysio reddiderim. Plura congesserunt Intt. ad Diogen. pr. 250. cf. Phot. v. σελήνη.

Ludus quidam dicitur ἐν κοτύλῃ, quem Pausanias memorat p. 1282. 47. Hunc locum postquam Eustathius exscripsit, addit: ἀλλαχοῦ γράφεται οὕτω· ἐν κοτύλῃ παιδιά τις ὡς καὶ ἑτέρωθι γέγραπται, ἐν ᾗ κοιλάναντες χεῖρα δέχονται τὰ γόνατα τῶν νενικηκότων οἱ νενικημένοι καὶ βασάζουσιν αὐτούς. Res redit eodem sed brevius narratur ita ut hic quoque existimem Eustathium inspexisse breviorem Pausaniae lexici recensionem.

Cur stupidi et inepti homines dicantur Κέσκον οὐκ ἔχειν, narrat Photius, nempe secundum Pausaniam, cf. Eust. p. 1392. 18.

Proverbium δεύτερος πλοῦς apud Photium periit, sed servavit Suidas; fons est Pausanias, cf. Eust. p. 1453. 21.

Dixit Demosthenes de Cor. § 259: ἔφυγον κακὸν εὖρον ἄμεινον· interpretatur Pausanias ap. Eust. p. 1727. 19. Hinc ad verbum convenit Photius, cf. Zenob. pr. 298.

Itidem a Pausania accepit Photius interpretationem proverbii Ἐς κόρακας, cf. Eust. p. 1747. 1. Vide ad Zenob. pr. 287.

Unicus locus restat sed qui dignus est quem accurate perpendas. Haec Eustathius p. 1864. 14: Ἔφεσος ἀφ' ἧς καὶ παροιμία τὸ Ἐφέσια γράμματα ἐπὶ τῶν ἀσαφῆ τινὰ λαλούντων καὶ δυσπαρακολούθητα· ἐπῳδαὶ γάρ τινές φασιν ἐκεῖναι ἦσαν, ἃς καὶ Κροῖσος ἐπὶ τῆς πυρᾶς εἰπὼν ὠφελήθη· καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ δέ φασι, Μιλησίου τινὸς καὶ Ἐφεσίου παλαιόντων, τὸν Μιλήσιον μὴ δύνασθαι παλαίειν διὰ τὸ τὸν ἕτερον περὶ τὼ ἀσραγάλω ἔχειν τὰ Ἐφέσια γράμματα, ὧν γνωσθέντων καὶ λυθέντων τριακοντάκις τὸ ἐφεξῆς πεσεῖν τὸν Ἐφέσιον. Παυσανίας δέ φησιν ἐν τῷ κατ' αὐτὸν ῥητορικῷ λεξικῷ καὶ ὅτι φωναὶ ἦσαν τὰ Ἐφέσια γράμματα φυσικὸν ἐμπεριέχουσαι νοῦν ἀλεξίκακον, ἃς καὶ Κροῖσον ἐπὶ πυρᾶς φησὶ καὶ αὐτὸς εἰπεῖν, καὶ ὅτι ἀσαφῶς καὶ αἰνιγματώδως δοκεῖ

ἐπὶ ποδῶν καὶ ζώνης καὶ ϛεφάνης ἐπιγεγράφθαι τῆς Ἀρτέμιδος τὰ τοιαῦτα γράμματα. Illud Ἐφέσια γράμματα Photius ter explicat. Tertia glossa est: Ἐφέσια γράμματα καὶ Ἐφέσια ἀλεξιφάρμακα· ὀνόματα ἄττα καὶ φωναὶ ἀντιπάθειάν τινα φυσικὴν ἔχουσαι. Haec certo certius e Pausania est. Prima glossa convenit cum iis quae Eustathius primo posuit nihilque difficultatis superest praeterquam in illo τριακοντάκις, pro quo Photius quod nihilo melius τριάκοντα τὸ ἑξῆς. Simplicissimum erit rescribere παλαίοντα τρὶς ἑξῆς, nisi forte verbum τριάζειν in corruptela latet. Altera glossa apud Photium eadem habet sed contracta: Ἐφέσια· δυσπαρακολούθητα, ὡς Ἐφεσίων τινῶν οὐσῶν ἐπαοιδῶν δυσπαρακολουθήτων ὡς προείρηται. Nisi omnia me fallunt, hic habes praeter Pausaniam duplicem Aelii Dionysii interpretationem ex utraque lexici recensione excerptam.

Haec igitur abunde sufficiunt ad probandum proverbia quorum est apud Photium magna copia, Platonicis exceptis, e Pausania fluxisse. Pauca quaedam fortasse Aelium Dionysium auctorem habent, qui proverbia parcius attigit. Haec sunt quae apud Eustathium observavi praeter ea de quibus supra iam videmus.

Legitur apud Eust. p. 455. 37: ὅτι δὲ τὸ ἐν σώμασι λευκὸν οὐκ ἐν ἐπαίνῳ ἦν καὶ ἐν ῥητορικοῖς δηλοῦται λεξικοῖς· ὧν ἐν θατέρῳ μὲν κεῖται· οἱ λευκοί· οἱ δειλοὶ καὶ λευκόπυγοι οἱ αὐτοί· ἐν δ' ἑτέρῳ, τῷ τοῦ Αἰλίου Διονυσίου δηλαδή, τὸ οὐδὲν λευκῶν ἀνδρῶν ὄφελος· ᾧ συμπαράκεινται καὶ ἕτεραι κεφαλαιώδεις παροιμίαι αὗται· οὐδεὶς δυσώνης χρηστὸν ὀψωνεῖ κρέας· καὶ· οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἐσυκὼς ἀνήρ. Glossam λευκοί vide apud Photium, excerptam ut videtur e Pausania. Duo postrema proverbia quae Dionysius adnotarat itidem apud Patriarcham suo loco comparent. Cf. Intt. ad App. Prov. 335.

Proverbium ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς Eustathius interpretatur p. 589. 41 secundum Dionysium et Pausaniam. Illius expositionem servavit Suidas.

Notum est Aristophanis fragmentum λέξεις ἄρα Ὥσπερ τὰ παιδί' ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε, quod Dionysius p. 881. 42 κωλάριον dicit παροιμιῶδες. Plura ex illo servavit Suidas v. ἐξέχειν. Hoc quoque loco vides proverbii notionem multo latius apud veteres patere quam apud nos.

Unicum proverbium superest p. 1404. 55: αὐτὸν κέκρουκας

τὸν βατῆρα τοῦ λόγου. Convenit Suidas v. βατήρ. Cf. Diog. pr. 238 et lex. rhet. Bekk. 224. 12.

Quod unum superest ut indicem proverbia apud Photium e Pausania ducta, mihi supervacaneum videtur, nam nullo negotio ab iis distinguuntur, quae e Boetho fluxernnt. Cetera igitur quae huc pertinent ad Photium ipsum adnotabo.

Scio quidem haec non satis esse ad intelligendum quae fuerit Pausaniae opera in veteri lingua explicanda, quia nondum tetigi glossas quae ad ius Atticum referendae sunt, sed infra idoneus dabitur disputandi locus.

§ 6.

De lexicis rhetoricis Eustathii.

Examinato Photii iudicio in Bibliotheca de lexicis rhetoricis Aelii Dionysii et Pausaniae, nunc videndum est de lexicis quae Eustathius usurpavit. Vidimus Photium legisse duas recensiones Dionysii lexici, utramque quinque libris comprehensam κατὰ στοιχεῖον. Harum altera priore plenior continebat voces ὅσαι τῇ προτέρᾳ οὐ συμπεριελήφθησαν ἢ περιελήφθησαν μέν, μαρτυρίαις δὲ ταῖς οὔσαις οὐκ ἐβεβαιώθησαν· ἐν γὰρ τῇ δευτέρᾳ ἐκδόσει πλατύτερον καὶ ἀφθονώτερον αἱ μαρτυρίαι παρατέθεινται. Sed cum videam Photium non animadvertisse, quod nobis tamen non est dubium, Diodorum Juliani lexicon in brevius contraxisse; τίς ἐξ ἄλλου μετέγραφε τέως οὐκ ἔχω λέγειν: haud vanam conjecturam me sequi suspicor, si affirmavero Photium unius eiusdemque Dionysii operis duas tenuisse recensiones alteram ex altera excerptam, h. e. ut grammatici solebant, resectis veterum testimoniis, quorum pretium ignorabant. Quod ad Pausaniam attinet, Photius tradit eius lexici maius fuisse volumen quam Dionysii, verum collato demum Eustathio, apparebit quanta fuerit utriusque convenientia. Sed quod Eustathius plura rhetorica lexica habuit, quae inter se multa habebant communia ita ut pleraque quae ex iis laudat etiamnunc apud Photium inveniantur, id accuratius considerandum est. Statim ab initio dicam quid mihi videatur, tum quantum in obscura re fieri poterit, exemplis stabiliam. Scilicet Eustathius usurpavit quinque lexica

rhetorica, quorum summa etiam in minutis convenientia: horum duo priora continebant duplicem recensionem Dionysii, i. e. Dionysium integrum et excerptum. Tum duo alia continebant pari modo duplicem Pausaniae recensionem, i. e. Pausaniam integrum et excerptum. Accedebat denique lexicon rhetoricum anonymum.

Primum locos laudabo ubi Eustathius e Dionysio eadem affert atque e Pausania, nempe: p. 84. 18 de vocabulo Ἀθηναία, p. 219. 25 ἐοργίζεται, p. 589. 41 ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς, p. 870. 27 πύνδαξ, p. 1923. 60 γέρρον, cf. Suidam. Denique p. 1822. 43. coll. p. 998. 31 ῥινᾶν. Modo Pausanias, modo Dionysius plura habuit; ille p. 206. 26 βλεπεδαίμων, p. 603. 16 αἰγίς, p. 801. 57 αἶνειν, p. 881. 25 προτέλεια, p. 1161. 29 ἀλάβασος, p. 1425. 56 ἀναξῶς. Dionysius contra p. 1158. 20 ἰδύοι, p. 1167. 19 ἐμμέλεια, p. 1417. 18 ἦδος, p. 1532. 5 ἐκτρυπᾶν. Alibi de eadem re alter alterum supplet, ita tamen ut non prorsus inter utrumque conveniat, p. 207. 4 βυσσαύχην, p. 258. 26 θεός θεός, p. 405. 36 πρόξενοι ἀσόξενοι δορύξενοι ἰδιόξενοι, p. 707. 32 ἀρδάνιον, p. 746. 39 ἀμφιτάπητες, p. 884. 7 κελέοντες, p. 975. 37 δωριάζειν, p. 1291. 43 δόχμιον, p. 1395. 47 βριμοῦσθαι, p. 1413. 32 ἰθύφαλλος, p. 1533. 57 ἄρριχος, sed ut verbis aliquantulum discrepent, re tamen ipsa plerumque et locis tantum non omnibus accuratissime conveniunt. Hinc facile est ad intelligendum, sicubi Dionysius et ἕτερός τις vel ἕτερος ῥήτωρ laudetur, Pausaniam respici et contra Dionysium, quotiescumque comparentur Pausanias et ἕτερός τις. Habes Dionysium et ἕτερόν τινα, p. 229. 26 τίτις, p. 948. 19 πτέον, p. 1698. 30 ἀχυρός, p. 1761. 51 ἦ. Pausaniam et ἕτερόν τινα p. 331. 14 Θετταλικὰ πτερά, p. 823. 26 αἴγλη, p. 302. 27 Ἀρκάδας μιμούμενος. Memorabilis locus est quem supra iam excitavi p. 455. 37, ubi Eustathius affert ῥητορικὰ λεξικά, ὧν ἐν θατέρῳ μὲν κεῖται . . . . ἐν δ' ἑτέρῳ τῷ τοῦ Αἰλίου Διονυσίου δηλαδή . . . . . quia summo iure inde confici videtur posse Eustathium duo tantum rhetorica lexica usurpasse, quod tamen secus est. Sed quia utriusque lexici duplicem recensionem habebat, modo loquitur quasi duo habeat, modo quasi plura. Hinc repetendum est quod saepissime ἕτερος laudatur vel ἕτερον λεξικόν, numquam fortasse ἄλλος et ἄλλος ῥήτωρ. Indidem

explicandum est quid sit ἕτερον λεξικόν, quod tum significat eiusdem lexici alteram recensionem, tum alterum grammaticum. P. 1944. 8 laudatur Aelius Dionysius, tum Eustathius pergit: ἐν μέντοι ἑτέρῳ ῥητορικῷ λεξικῷ γράφει ὅτι ..... Eodem modo p. 1957. 59 laudato Aelio Dionysio, Eustathius pergit: ἐν ἑτέρῳ δὲ γράφει ὅτι .... P. 408. 4 laudatur Pausanias, tum sequitur: ἐν ἑτέρῳ δὲ ῥητορικῷ λεξικῷ γράφει ὡς .... Luculentior etiam locus est p. 239. 32 ubi Eustathius laudato Dionysio continuo addit: ἐν ἑτέρῳ δὲ ὁμοίῳ λεξικῷ. Quintum lexicon rhetoricum, ἀνώνυμον, ter laudatur p. 799. 34 ἀρηνοβοσκός, p. 1828. 48 ᾠά, p. 1854. 30 μόρτη. Simillimum fuisse ceteris lexicis apparet. Notandum quoque est Eustathium subinde ἑτέρους laudare ubi non plures intelligat sed unum tantum. Vide huius rei exemplum p. 84. 18 ubi laudantur Dionysius, Pausanias et ἕτεροι h. e. scriptor anonymus lexici rhetorici. Itidem p. 405. 36, p. 1291. 43, p. 1446. 20, p. 1533. 57. Aliis locis non Dionysius cum Pausania laudantur sed alteruter, ut non prorsus certum sit quis sit ἕτερος vel ἕτεροι vel quid sit ἕτερον λεξικόν, cf. p. 217. 24 ζμικρόν, p. 396. 22. δένδρον, p. 880. 30 βουνός, p. 1369. 33 δάπιδες, p. 1434. 1 ἅπαν, p. 1625. 18 ταρροί, p. 1235. 58 λείβηθρον, p. 878 21 ἀμάμηλις p. 1452. 15 Φορμός. Haud raro Eustathius locis laudatis praefigit ἀλλαχοῦ, sed saepe incertum est quodnam lexicon intelligatur ut p. 239. 32, p. 1165. 6, p. 1221. 25, p. 1283. 6, p. 1386. 48. Sed facile est iudicare de loco qui legitur p. 801. 57 de verbo αἴνειν, ubi laudatis Dionysio et Pausania, Eustathius pergit: ἐν ἄλλοις δὲ φέρεται .... h. e. in lexico anonymo. Ad hanc quaestionem diiudicandam memoratu dignus est locus p. 1828. 48 ubi primum laudatur Aelii Dionysii lexicon, tum ἕτερον λεξικὸν ῥητορικόν, deinde ἄλλο, denique ἀνώνυμον ῥητορικὸν λεξικόν. Ex ipsius loci consideratione colligo illud lexicon quod Eustathius ἄλλο vocat, esse epitomen lexici Aeliani, unde sequitur ἕτερον Pausaniae esse. Contra p. 1926. 52 primum laudatur Dionysii lexicon sed manifesto voluit indicare epitomen; tum ἕτερον ῥητορικὸν λεξικὸν Pausaniae est et ἄλλο integrum opus Dionysii. Sed etiam post repetitam lectionem pauci quidam loci remanent v. c. p. 1885. 14 et p. 1915. 7 de quibus nihil statuere ausim. Hoc tamen affirmo

nihil iis contineri quo ea quae supra disputata sunt evertantur.

Nunc notabo duas corruptelas in paucis memorabiles. Eustathius p. 1423. 2 e rhetorico lexico laudat *οἰκοπορεῖα* et *οἰκοτρύβλιον*. Photius autem *οἰκυπορεῖα· τὰ κατ' οἰκίαν σκεύη* et *οἰκοτρύβλιον· τὸ οἰκογενὲς παιδάριον*. Corrupta vocabula emendare poteris in auxilium vocato Polluce qui X. 11 ex Alcaeo Comico affert *οἰκητήρια* et III. 76 *οἰκοτρίβαιον*. Vides corruptelas satis antiquas; altera tamen est etiam multo antiquior: Hesychius enim itidem habet absurdum *οἰκοτρύβλιον*. Summa evidentia sequitur iam in Diogeniani Codice tam immane vitium circumlatum fuisse indeque fluxisse in lexica rhetorica, quibus Photius et Eustathius usi sunt. Est utilissimum tales corruptelas diligenter considerare, ne dubitemus vitium tollere, quamquam plures grammatici eandem prorsus lectionem repraesentent. Omnes grammatici qui ex alienis opibus sapiunt, non tam scriptores sunt quam librarii. Describunt bona fide et nil mali suspicantes aegra sana corrupta integra atque non solum ostendunt ne doctissimo quidem sine teste credendum esse, sed etiam docent, quod utile est firmiter tenere, multas esse in nostris libris corruptelas omnibus Codicibus multo antiquiores. Tempore Hadriani Imperatoris ut vides doctissimi grammatici describebant et probabant absurdum *οἰκοτρύβλιον*. Noli increpare librarios: hi quidem fecerunt quod poterant et debebant: accurate describebant. Qui Codices Marcianum, Galeanum, Eustathii summo labore et taedio ut opinor exararunt, nil quidquam commiserunt. Quod alibi satis est librariorum errores corrigere, cum scriptores ipsos suos sibi errores habere iubemus, id in Grammaticis non est satis. Velimus nolimus ipsi Grammaticorum errores corrigendi sunt et, ut legi possit, edi debet Photii lexicon non quemadmodum conscripsit Photii librarius, sed opera danda est ut veterum Alexandrinorum quae insunt fragmenta, quam emendatissima legantur, purgata a corruptelis quamvis antiquis. Hoc qui negant clamantes semper et ubique criticos hoc agere debere ut librarii castigentur non scriptores ipsi, satis esse librarios in ordinem cogere, non esse audiendum qui in Photio non tantum amanuensem corrigere velit, sed etiam Aelium Dionysium grammaticum doctissimum multo antiquiorem, ii hoc solum assequentur ut alios a lectione veterum

Grammaticorum deterreant. Edant in Photio et Hesychio οἰκοτρύβλιον, quamquam M. Schmidtius quem nemo pronunciabit nimis audacem esse, edidit non Diogeniani manum sed οἰκοτρίβαιον, equidem Photio veram lectionem non *restituam* sed *obtrudam* et sic agam in similibus. Nihil est Photius, nihil est Aelius Dionysius, nihil Diogenianus; ipsum Pamphilum supra vidimus turpiter errantem. Hoc agimus ut Didymi manus ubique restituatur et si qui sunt Didymo antiquiores. Qui describunt aliena, quamquam ne ipse quidem Didymus ab hac parte culpa vacat, aequalibus *scriptores* videbantur, nobis sunt *librarii*. Horum operibus non debetur ea reverentia quam scriptoribus tribuimus. Gratias agimus et habemus pro industria, sed bellum gerimus cum erroribus quos in describendo commiserunt. Sic demum Grammatici Graeci edi possunt ut habiles fiant ad usum. Addam unum exemplum quo non novi aliud luculentius.

Legitur apud Photium corrupta glossa περισο· περιφέρειν. Εὐριπίδης. Rescribes περισοβεῖν coll. Hes. περισοβεῖν· ἐν κύκλῳ πίνειν ἢ περιτρέχειν ἢ φωνεῖν ἢ διώκειν. Intelliges correctionem esse sine dubitatione verissimam ex Pamphili loco quem Athenaeus servavit XI. 504 A. ubi conviva Plutarchus φιάλην ἔδωκε τῷ παιδὶ περισοβεῖν ἐν κύκλῳ κελεύσας, τὸ κύκλῳ πίνειν τοῦτ' εἶναι λέγων, παρατιθέμενος Μενάνδρου ἐκ Περινθίας·

Οὐδεμίαν ἡ γραῦς ὅλως
κύλικα παρῆκεν ἀλλὰ πίνει τὴν κύκλῳ

καὶ πάλιν ἐκ Θεοφορουμένης

καὶ ταχὺ
πάλιν τὸ πρῶτον περισοβεῖ ποτήριον
αὐτοῖς ἀκράτου.

καὶ Εὐριπίδης δ' ἐν Κρήσσαις·

τὰ δ' ἄλλα χαῖρε κύλικος ἑρπούσης κύκλῳ.

Vides itaque non Euripidem περισοβεῖν dixisse sed a Pamphilo laudatum fuisse in disputatione de hoc verbo. Hoc quoque inde colliges Athenaeum non ipsum sibi hos locos collegisse, sed aliunde descripsisse, scilicet e Pamphilo. Nunc quidem fraus manifesto indicio perpluit sed si ipsum Pamphilum adire possemus, appareret credo Athenaeum bonam partem suorum inde abstulisse. Multos scriptores laudat quorum magnum numerum

eum numquam vidisse non auguror sed certo scio. Non sunt eius omnes μαρτυρίαι quae videntur sed permultae ἐκμαρτυρίαι.

Itaque satis nobis iam apparuit Dionysii et Pausaniae lexica quibus Eustathius usus est a Photio in lexicon relata esse. Habuit autem Dionysii duplicem recensionem, an Pausaniae quoque habuerit non certo scio, sed mihi videtur admodum verisimile ob ea quae dicam.

Infinitum est omnes glossas duplices in Photio recensere, quae magnam partem ex utraque Dionysii recensione fluxerunt; sed dabo quaedam exempla, quibus unusquisque nullo negotio alia addere poterit. Habet duplicem glossam κακκάβη, cf. Eust. p. 1390. 50. Κακκάβην inquit δεῖ λέγειν οὐχὶ κάκκαβον· σημαίνει δὲ τὴν χύτραν. Tum κακκάβη· ὃν ἡμεῖς κάκκαβον· ἔστι δὲ λοπαδῶδες ἔχον ἐξ ἑαυτοῦ τρεῖς πόδας. Alia glossa est μακαρίτας· τοὺς τεθνεῶτας εὐφήμως, ὡς μακαρίων ὄντων τῶν τελευτησάντων ὅτι οὐκέτι αἰσθάνονταί τινος. Δωριέων τινὲς αὐτοὺς ζαμερίτας καλοῦσιν, οἷον τῆς μείζονος μερίδος ἤδη κεκοινωνηκότας· τὸ γὰρ ζα ἐπὶ τοῦ μεγάλου τίθεται ὡς ζάπλουτος. Ex epitome autem: μακαρίτας· τοὺς τεθνηκότας· οὕτως Μένανδρος. Eiusdem est μάμμην· τὴν μητέρα καλοῦσιν καὶ μαμμίαν· καὶ τὸν πατέρα πάππαν καὶ παππίαν. Infra brevius: μάμμην· τὴν μαμμίαν· λέγουσι δὲ καὶ μάμμαν· Ἀριστοφάνης. Non minus est perspicuum: ῥᾳδιουργός· οὐχ ὁ γράμματα παραποιῶν ἀλλ' ὁ κακοῦργος ἁπλῶς· καὶ ῥᾳδιουργία· ἡ περὶ πᾶν ὀλιγωρία καὶ εὐκαιρία καὶ θρασύτης· Ξενοφῶν (Mem. II. 1. 20) δὲ καὶ ἐπ' εὐκολίας ἐχρήσατο τῇ λέξει. Observatio est Aelii Dionysii, cf. Eust. p. 1509. 44 quae fere iisdem verbis infra redit in illa altera verborum serie, quam considerabo quum dicendi locus erit de sexto lexico Bekk.

Sunt quoque quod nunc nemo mirabitur aliquot glossae triplices. Duas supra iam exscripsi Ἐφέσια γράμματα et ἴουλος. Addam nunc v. ἴσαι ψῆφοι, sed in prima glossa lemma mutilum est; ὀργάς, πάραλος, cet. Quid autem si etiam quadruplices glossas indicavero? Supra iam adhibuimus talem glossam κύτταρος. Hae accedant:

Expuncta Harpocrationis glossa de eodem vocabulo, haec Photius de voce ἀδηφάγος. Primum interpretatur ἀθρόως ἐσθίων, πολυφάγος, γαστρίμαργος. Sequitur secunda glossa ἀδηφάγον

ἅρμα τὸ τέλειον. Tertia est ἀδηφάγοι τριήρεις· αἱ μεγάλαι οὕτως ἐλέγοντο ἢ ἔχουσαι τὰ πληρώματα ἐντελῆ· καὶ ἀδηφάγα ἅρματα τὰ μεγάλα καὶ τέλεια· καί ἐσι πεποιημένον ἀπὸ τοῦ ἄδην ἐσθίειν ἤτοι δαψιλῶς. Quarta denique ἀδηφάγοι· ἀγωνισαὶ ἵπποι οὕτως ἐκαλοῦντο, ὡς Ἀριστοφάνης καὶ Φερεκράτης· ἔφη δὲ καὶ ἀδηφαγοῦσα Σοφοκλῆς καὶ ἀδηφαγεῖν Ἕρμιππος· ἀλλὰ καὶ ἀδηφάγον εἶπε Λυσίας τὴν τέλειον μισθὸν λαμβάνουσαν τριήρη· Ἀλκαῖος δὲ ὁ κωμικὸς καὶ τοὺς πότας λεγομένους λύχνους ἀδηφάγους ἔφη χαριεντισάμενος· καὶ δρομεῖς δέ τινες ἐν Νεμέᾳ ἀδηφάγοι ἐλέγοντο· καὶ οἱ γυμνασικοὶ παρ' Ἀργείοις οὕτως· λέγουσι δέ τινες καὶ τὸν ἱερὸν λόχον ἀδηφάγον. Animadverte duas glossas longiores et duas brevissimas, descriptas ut existimo ex utriusque lexici epitome. Similia invenit Eustathius p. 1394. 34 in lexicis suis rhetoricis, sed neglexit accuratius indicare. Simile exemplum habemus in istis: Λεκανίς· ἐν τοῖς ἐπαυλίοις οἱ πατέρες ταῖς νύμφαις δῶρα ἔπεμπον, ἐν μὲν ταῖς κοιτίσι χρυσία, ἐν δὲ ταῖς λεκανίσι παρθενικὰ παίγνια. Sequitur Λεκανίς· κεραμέα λοπάς καὶ τὰ ἐκπέταλα τρύβλια. Tertia glossa est Λεκάνη· παρώνυμος τοῦ λέκους, οὐχὶ ἀπὸ τοῦ λάλακος· λάλαικος δὲ πλατὺ καὶ ἐκπέταλον καὶ ἀναπεπταμένον ἀγγεῖον· ἀλλ' οἱ παλαιοὶ ὃ ἡμεῖς λεκάνην ποδανιπτῆρα ἐκάλουν, λεκάνιον δὲ καὶ λεκανίδα ἀγγεῖα ὥτα ἔχοντα πρὸς ὑποδοχὴν ὄψων καὶ τοιούτων τινῶν· οὕτως Ἀριστοφάνης. Dobraeus corrigit ἀπὸ τοῦ λάκκος· λέκος δὲ πλατύ, κτξ. Usurpavit autem Aristophanes λεκάνιον in Acharn. 1110. Quarta denique glossa est Λέκος καὶ λεκίσκιον καὶ λεκάνη καὶ λεκανίς· τὰ ἐκπέταλα τρύβλια· οὕτως Ἀριστοφάνης. Possunt quaedam addi de horum vocabulorum formis, sed malo lectores ad Stephani Thesaurum ablegare. Hoc unum addo glossam etiam quintuplicem fore, si addideris hanc: λεκάρια· λεκανίδια. Dolendum est nihil afferre Eustathium quo singulas glossas scriptoribus restituantur. Alia exempla ad Harpocrationem dabo.

§ 7.

De Boetho.

Iam disputatio eo pervenit ut quaerere debeamus de Boetho

cuius memoriam renovavit Cobetus in Mnem. IX. 399. Haec de eo Photius in Bibliotheca: *Ἀνεγνώσθη δ' ἐν τῷ αὐτῷ τεύχει* (Timaei scil.) *καὶ Βοηθοῦ λέξεων Πλατωνικῶν συναγωγὴ κατὰ στοιχεῖον πολλῷ τῆς Τιμαίου συναγωγῆς χρησιμώτερον· προσφωνεῖ δὲ Μελάντᾳ τινὶ τὸ συνταγμάτιον. Συνετάγη δ' αὐτῷ καὶ ἕτερόν τι Ἀθηναγόρᾳ προσφωνούμενον σπουδασμάτιον ὃ περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων λέξεων ἐπιγράφει· ὧν εἴ τις τὰς λέξεις εἰς ἓν συναγάγοι συνεντάσσων καὶ τὰς συνηγμένας Τιμαίῳ, ἀπηρτισμένην παράσχοιτο τὴν ὠφέλειαν τοῖς τὰ Πλάτωνος ἀναγινώσκειν ἐθέλουσιν.* Scripsit igitur Boethus duos libellos, alterum inscriptum *Λέξεων Πλατωνικῶν συναγωγήν*, alterum *περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων λέξεων*, quos Photius in suam farraginem retulit. Non opinor hodie fieri posse ut distinguamus ex utro libello Photius quamque Platonicam glossam sumserit, sed eum utroque usum fuisse in lexico condendo hoc satis manifesto apparere potest, quo tamen demonstrationis genere Cobetus non usus est, e glossis Platonicis duplicibus. Habet tamen haec res cautionem aliquam, quam si quis praeterviderit, periculum est ne gravi errore implicetur. Scilicet quod vidimus, Aelius Dionysius quoque in lexico rhetorico Platonem attigit atque hinc factum est ut non omnia Platonica apud Photium Boetho reddenda sint. Sed Dionysius alia persequebatur; imprimis rationem habebat Atticae dialecti et Platonis studium perpetuo cum Thucydide et Homero conjungit; hinc cum Dionysium ex Eustathio satis cognitum habeamus, uniuscuiusque esset Aeliana a Boethi animadversionibus distinguere, quibus ipsa historia attingitur et mores veterum, proverbia imprimis, docte ornantur et multis scriptorum auctoritatibus muniuntur, nisi ipse Boethus Dionysii opere usus esset, quo factum est ut pauca quaedam remaneant, quae non satis firmo argumento discerni possint, quamquam de universa re nulla supersit dubitatio. Sed primum excitandae sunt aliquot glossae Platonicae duplices.

Legitur v. *κάκη· δειλία καὶ κακία· ἐν ᾧ τὸ μετὰ κακίας περιποιεῖσθαι τὸ ζῆν ῥιπτοῦντα τὰ ὅπλα διαβέβληκεν Νόμων η'.* Non octavus respicitur Legum liber sed duodecimus p. 944 C, vide modo alteram glossam: *κάκη· βαρέως ἡ κακία· ἐν Νόμοις Πλάτων· μετὰ κάκης μᾶλλον ἢ μετ' ἀνδρείας.* Ex hac ipsa glossa Porsonus Platonem emendavit, apud quem perperam legitur

μετὰ τάχους. Sed quaeri intelligo unde sciam utramque adnotationem exilem sane et nihil nobis profuturam nisi textus Platonis in mendo cubaret, Boethi esse; quidni statuam alteramutram Dionysii esse quem ipse supra dixerim fontem fuisse Boethi. Nempe quia Dionysii glossa servata est inter utramque quam laudavi media: κάκη· δειλία, παρὰ τὸ ἀποπατεῖν· τὸν γὰρ ἀπόπατον κάκκην καλοῦσιν. Pudet me Dionysii qui tam insulsam etymologiam commentus fuerit, sed tum ipsa adnotationis forma scriptorem prodit, tum urgendum est simillima tradi ab Eustathio p. 950. 53, opinor e lexicis rhetoricis.

Aliud exemplum hoc est: λίσπας· ἐκωμῳδοῦντο λίσπαι οἱ Ἀθηναῖοι ἀπὸ Θησέως, ἐπεὶ Ἡρακλῆς δοκεῖ ἁρπάσαι ἀπὸ τῆς πέτρας τὸν Θησέα ὅτ' ἦν ἐν Ἅιδου ὡς μεῖναί τι πρὸς τῇ πέτρᾳ τῶν ἰσχίων. Platonicam glossam esse efficio ex ipso lemmate λίσπας pro λίσπους, orto e male intellecto Symp. 193 A: γεγονότες ὥσπερ λίσπαι. Confirmabit hoc sequens glossa in qua itidem lemma λίσπαι· οἱ μέσοι διαπεπρισμένοι ἀσράγαλοι καὶ ἐκτετριμμένοι· καὶ λίσπη γλῶσσα ἡ ἐπιτετριμμένη· λέγονται δὲ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐπιθετικῶς λίσπαι διὰ τὸ ναυτικοὺς ὄντας ἕνεκα τῆς ἐν τῷ κωπηλατεῖν συνεχοῦς ἐφέδρας ἀπογλούτους εἶναι· ἔνιοι διὰ τὸ Θησέα μετὰ Πειρίθου καταβάντα εἰς Ἅιδου καὶ πρὸς τινὰ πέτραν ὑπὸ Περσεφόνης ἐπικαθεσθέντα σὺν τῷ Πειρίθῳ, Ἡρακλέους ἐπὶ τὸν Κέρβερον κατελθόντος, παρὰ τῆς θεοῦ τε αὐτὸν ἐξαιτησαμένου καὶ τῆς πέτρας ἀποσπῶντος, ἐγκαταλειφθῆναι τὸ προσηνωμένον αὐτῇ τῶν γλουτῶν μέρος· διόπερ εἰς τιμὴν ἐκείνου καὶ τοὺς λοιποὺς Ἀθηναίους οὕτως ὀνομάζεσθαι. Haec autem Boethi esse docebit Scholiasta ad laudatum Platonis locum, qui multa a Boetho mutuari solet, ut infra ostendemus.

Habemus glossam πελάται· οἱ παρὰ τοῖς πλησίον ἐργαζόμενοι καὶ θῆτες· οἱ αὐτοὶ καὶ ἑκτήμοροι ἐπεὶ ἐπὶ ἕκτῳ μέρει τῶν καρπῶν εἰργάζοντο τὴν γῆν, ubi Cod. perperam ἐπειδὴ ἕκτῳ μέρει τὸν καρπόν.. Multa ut modo dicebam e Boetho fluxerunt in Scholia Platonis; jam mihi confer Schol. Euthyphr. 4 C. et videbis quis haec quoque scripserit. Scholiasta autem ponit duplicem interpretationem cuius altera pars convenit cum Photii glossa quam laudavi etiam in vitio. Hoc quoque notabo haud paulo rectius Plutarchum tradere Solon. c. 13: ἐγεώργουν ἐκείνοις (τοῖς πλουσίοις) ἕκτα τῶν γινομένων τελοῦντες et ridiculus error

est Schömanni in libro de Comitiis p. 362, qui cum grammaticis statuit τοὺς ἑκτημόρους agros possedisse ea conditione, ut ex annuo proventu quinque partes dominis solverent, unam sibi haberent. Plane contra est; nusquam terrarum adeo sunt fertiles agri ut hanc conditionem agricolae ferant. In insula Java verbi causa, hoc est sub coelo haud parum feliciore, agrorum possessores — singuli enim δῆμοι possident et dominium est penes principem — olim solvebant e toto proventu unam partem, sibi habebant quatuor partes; et rerum ordo qui nunc est, nititur eodem fundamento. Polybius docet viguisse eandem legem in coloniis Carthaginiensium. Itaque Attici coloni qui solum arabant sterile, misera erant conditione, etiamsi non quinque partes solverent tributi nomine, quod praestare omnino non poterant, sed unam tantum. Verum Schömanno misso illuc redeamus. Altera igitur pars Platonici Scholii satis bene convenit cum Photii glossa quae sequitur: Πελάται· οἱ μίσθῳ δουλεύοντες ἐπεὶ τὸ πέλας ἐγγύς· οἷον ἔγγισα διὰ πενίαν προσιόντες· Ἀριστέλης. Scholiasta enim resectis iis quae e Timaeo transscripsit, haec habet: Πελάτης· ἀπὸ τοῦ πέλας ἤτοι ἐγγὺς ἐκαλεῖτο, ὁ δι' ἔνδειαν προσιών, μίσθιος δὲ ὑπηρετῶν. Sed notabimus aliud exemplum haud paulo luculentius.

In Phaedro p. 242 A. notissima sunt verba: μήπωγ' ὦ Σώκρατες, πρὶν ἂν τὸ καῦμα παρέλθῃ· ἢ οὐχ ὁρᾷς ὡς σχεδὸν ἤδη μεσημβρία ἵσταται, ἡ δὴ καλουμένη σαθερά. Non latuit Ruhnkenium — qui enim potuit, nam vel mediocriter doctus hoc animadvertere potuerat? — eiicienda esse verba ἡ δὴ καλουμένη σαθερά. Ineptum emblema alii tamen pertinaciter defendunt, in quibus vidi qui sic disputaret: *Nimirum Socrates* per occasionem *ridere videtur eos qui dictionem* μεσημβρία ἵσταται *ad verbum* σαθεύειν *urere referrent.* Quaeri sane potest quid sit illud *per occasionem*, nam si haec occasio est, scire velim numquid umquam *praeter occasionem* esse possit. Haec si occasio erit, genuina videbuntur apud Aristophanem quae Cobetus eiecit in Orat. Inaug. p. 143:

ὅτι δὲ πολεῖται τοῦτο καὶ διέρχεται
ἅπαντα διὰ τοῦτό γε καλεῖται νῦν πόλος.

Tum vir doctus prae festinatione credo Socrati dedit quae

Phaedri verba sunt. Hoc quoque nesciebam veteres solitos fuisse ridere ineptas etymologias; imo nos solemus, sed in ea re veteres miris modis caecutiebant. Denique nihil hic Plato de etymologia, nihil de verbo σαθεύειν· quin dixeris, dummodo haec verba Platonis sint, σαθερὰ componi cum ἵσασθαι. Hoc igitur tenebimus neminem rideri et interpolata esse verba quae Ruhnkenius notavit. Verba tamen iam olim Platonis textui inserta sunt, quod Timaeus monstrat. Sed vide nunc Boethi adnotationem apud Photium: σαθερόν· ὀξὺ, ἰσχυρόν· τὸ διὰ τὴν ὀξύτητα τῆς κινήσεως ἐσάναι δοκοῦν· καὶ σαθερὰν μεσημβρίαν ἐν Φαίδρῳ Πλάτων, τὸ μεσαίτατον καὶ πνιγηρότατον τῆς ἡμέρας δηλονότι. Iam compone sequentem glossam Σταθερόν· ὀξὺ, ἰσχυρὸν ἢ θερμόν· τὸ διὰ τὴν ὀξύτητα τῆς κινήσεως ἐσάναι δοκοῦν· ἐν Φαίδρῳ· μήπωγ' ὦ Σώκρατες, πρὶν ἂν τὸ καῦμα παρέλθῃ· οὐχ ὁρᾷς ὡς σχεδὸν ἤδη μεσημβρία ἴσαται, ἡ δὴ καλουμένη σαθερά; δύναται μέντοι καὶ θερμοτάτη εἶναι ἡ σαθερὰ ὀξεῖα οὖσα· καὶ γὰρ τὸν ἥλιον ὅταν μᾶλλον ἐγκάῃ, ὀξὺν εἰώθασι λέγειν· σημαίνοι δ' ἂν καὶ τὸ σάσιμον τῷ μέσον τι εἶναι τῆς ἡμέρας καὶ μηδ' ἐφ' ἕτερον κλίνειν· καὶ Κρατῖνος δ' ἐν Σεριφίοις ἐπὶ τοῦ ὀξέος ἢ ἰσχυροῦ.

οὕτω σαθερῶς τοῖς λωποδύταις ὁ πόρος πεινῶσι παφλάζει.

Ἀντίμαχος·

θέρεος σαθεροῖο.

τινὲς δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ σασίμου, ὡς Αἰσχύλος ἐν Ψυχαγωγοῖς·

σαθεροῦ χεύματος.

καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Προαγῶνι·

σαθερὰ δὲ κάλυξ νεαρᾶς ἥβης.

σημαίνει καὶ τὸ μόνιμον. Vides utramque glossam eiusdem scriptoris esse, nempe Boethi, qui in altero opere disputavit copiosius, in altero satis habuit resectis veterum testimoniis ipsam rarioris vocabuli significationem declarare. Sed ne quis putet nos ope Photii et Scholiastae integrum Boethum veluti ab Orco in lucem revocare posse, ipse Photius haud raro Boethi doctrinam mutilavit, h. e. omisit quae nostra scire plurimum interest, saepe quoque Scholiasta satis habuit potiora apponere veluti hoc loco: σαθερόν· τὸ σφόδρα θερμόν, ἀπὸ τῆς ἐν τῷ θέρει μεσημβρίας· καὶ Ἀντίμαχος· θέρεος σαθεροῖο· καὶ τὸ ἐσὸς δὲ καὶ ἠρεμοῦν σαθερὸν λέγουσι. Ceterum haec res manifesta

est, nam quae unica glossa nominatim e Boetho affertur, scilicet ab Hesychio in v. *διὰ πάντων κριτής*, ea nuspiam legitur, neque in Suida — nam in Photio illa pars operis periit — neque apud Scholiastam.

Venio nunc ad insignem locum, de quo alii fortasse aliter iudicaturi sunt. Legitur in Symp. 190 D.: *ὥσπερ οἱ τὰ ὄα τέμνοντες καὶ μέλλοντες ταριχεύειν ἢ ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ ταῖς θριξίν.* Praeclara exstat de hoc loco disputatio Ruhnkenii ad Timaeum p. 188, sed fateor, equidem numquam concoquere potui verba *ἢ ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ ταῖς θριξίν*, quae mihi interpolata videntur, qua in sententia haud parum adiuvor auctoritate nonnullorum criticorum quos a levibus suspicionibus maxime alienos esse video. Olim pro *οἱ τὰ ὄα τέμνοντες* legebatur *ὠά*, quod Ruhnkenius praeclare correxit, sed interpolata verba grammatico reddiderim qui *ὠὰ* pro *ὄα* in Codice invenit et infelicem conjecturam periclitatus est. Dignissimus est qui hic conferatur Plutarch. Amor. t. II. p. 770 B. Ac vel sic tamen locus nondum perpurgatus est; equidem certe offendor illa copula *οἱ τὰ ὄα τέμνοντες καὶ μέλλοντες ταριχεύειν.* Duo participia iuxta posita saepissime a librariis perperam conjunguntur vocula *καί*, sicut illis videtur ut arctius conjungantur; nobis contra arcta conjunctio ipsa conjunctione perit. Videndum est quoque an legendum sit *ταριχεύσειν.* Exstat huius lectionis vestigium apud Photium: *ταριχεύειν· ταριχεύσειν· ὥσπερ οἱ τὰ ὄα τέμνοντες καὶ μέλλοντες ταριχεύσειν· σημαίνει δὲ καὶ τὸ ξηραίνει.* Ad hunc locum nulla in Codicibus Scholia adscripta sunt, sed suspicor tamen alteram Boethi notulam contineri his verbis apud Photium: *ταριχεύει· τήκει, ξηραίνει.*

Certior res est de glossula *Τυφῶνος· πυρώδους δαίμονος*, quam quivis retulerit ad Phaedr. 230 A., sed itidem huc pertinet *Τυφών· οὐχ ἡ φλὸξ ἡ ἐκ τοῦ ἀέρος ἀλλ' ἡ ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως συσροφὴ πρὸ τοῦ ἐκπυρωθῆναι, ὡς Πλάτων ἐν Φαίδρῳ.*

Apud Photium est glossa *Ὑηνῶν θρεμμάτων· καὶ ἔδοξέ μοι τοῦτο οὐκ ἀνθρώπινον ἀλλ' ὑηνῶν τινῶν μᾶλλον εἶναι θρεμμάτων*, Πλάτων Νόμων ζ', nempe 819 D. Sed eodem pertinet glossa quae paulo post sequitur: *Ὑηνῶν· σκαιῶν καὶ ἀμαθῶν· καὶ ὑηνία· σκαίοτης καὶ ἀμαθία· οὕτως Καλλίας.* Iam cf. Schol. *ὑηνῶν· χοιρείων ἢ σκαιῶν καὶ ἀμαθῶν* et non dubitabis quin hanc

glossam quoque eidem reddas. Callias laudatur etiam in glossa μαμμᾶν, sed quis hic sit nescio.

Legitur in vicinia: Ὑμνεῖν· ὀδύρεσθαι, μέμφεσθαι, λοιδορεῖν· κατ' εὐφημισμόν, ὡς ἐν α' Πολιτείας. Accurate convenit Schol. Rep. I. 329 B. Sequitur apud Photium: ὑμνούντων· ὅτι ψιλῶς ἀντὶ τοῦ λεγόντων· Νόμων ς' Πλάτων· ψευδῆ φήμην ἡμῶν κατὰ θεῶν ὑμνούντων. Vide locum in Legg. VII. 822 C.

Ultimum exemplum erit glossa ὀκρίβας. Prior glossa est: ὀκρίβας· τὸ λογεῖον ἐφ' οὗ οἱ τραγῳδοὶ ἠγωνίζοντο· καὶ Πλάτων ὁ Φιλόσοφος ἐν Συμποσίῳ κέχρηται τῷ ὀνόματι. Similia invenies ap. Schol. Symp. 194 B. Sed eodem pertinere arbitror alteram glossam apud Photium, quae plenior est et cuius ultima verba cum priore adnotatione conveniunt: ὀκρίβας· σκηνή, ἰδίως πάντων τῶν λεγόντων· τὰ πλαστικὰ πήγματα ἐφ' οἷς διατυποῦσι τὰς εἰκόνας· καὶ τὰ ὑπερείσματα τῶν ξυλίνων θεάτρων· βέλτιον δὲ φαίνεται τὸ λογεῖον ἐφ' οὗ ἵστανται οἱ τραγῳδοί.

Habuimus supra iam exempla aliquot e quibus apparere potuit quam utilis sit Photii comparatio cum Scholiasta Platonis. Itaque ad singulas Photii glossas adnotabo Scholiastae locos quibus similia traduntur, sed praeterea hic quaedam luculenta exempla sub uno conspectu ponam. Initium sumam a voce παναθήναια de qua Photius sic: Ἀθήνησιν ἑορτὴ ἐπὶ τῷ ὑπὸ Θησέως γενομένῳ συνοικισμῷ, πρὸ τοῦ Ἐριχθονίου τοῦ Ἡφαίστου καὶ Γῆς· Ἀθηναίων· ὕστερον δὲ ὑπὸ Θησέως· πεντέτης καὶ ἀγωνίζεται παῖς, Ἰσθμικοῦ πρεσβύτερος· καὶ ἀγενείου· ἀνήρ· τῷ δὲ νικῶντι δίδοται ἆθλον, ἔλαιον ἀμφιφορεῦσι· καὶ ὁ νικῶν στεφανοῦται ἐλαίᾳ πλεκτῇ. Vides haec in Codice Galeano cuius lectionem repraesentavi, multis modis corrupta esse. Similes autem corruptelas observabis apud Schol. Parm. 127 A., ne dubites eidem reddere i. e. Boetho: ἡ τῶν Παναθηναίων ἑορτὴ καὶ ὁ ἀγὼν ἐτέθη μὲν πρῶτον ὑπ' Ἐριχθονίου τοῦ Ἡφαίστου καὶ τῆς Ἀθηνᾶς, ὕστερον δὲ ὑπὸ Θησέως συναγαγόντος τοὺς δήμους εἰς ἄστυ· ἄγεται δὲ ὁ ἀγὼν διὰ πέντε ἐτῶν· καὶ ἀγωνίζεται παῖς Ἴσθμια οὐ πρεσβύτερος καὶ ἀγένειος καὶ ἀνήρ· τῷ δὲ νικῶντι διδόασιν ἔλαιον ἐν ἀμφιφορεῦσι καὶ στεφανοῦσιν αὐτὸν ἐλαίᾳ πλεκτῇ. Sunt haec quidem paulo emendatiora et imprimis notabile est Erichthonium Vulcani et Minervae filium dici, qua in re scriptorem vetustam famam secutum esse censeo, sed absurdum

Ἰσθμικοῦ vel Ἴσθμια in utroque recurrit; latet annorum numerus.

Nunc considera Photii glossas

ἆ pr. part.	et:	Schol. Hipp. Mai. 295 A.	
ἀγχίσποροι	»	»	Rep. III. 391 A.
ἀγὼν οὐ δέχεται σκήψεις	»	»	Cratyl. 421 D.
ἀδεὲς δέος	»	»	Symp. 198 A.
ἄδην	»	»	Charmid. 153 D.
ἐρήμη δίκη	»	»	Apolog. 18 C.
εὐκράς	»	»	Criti. 112 D.
ἕρμαιον	»	»	Phaed. 107 C. Symp. 217 A. Gorg. 486 E.
ἐρυσίβη	»	»	Rep. X. 609 A.
ἡδύς	»	»	» VII. 526 D.
ἤπου	»	»	Euthyphr. 4 A.
ἤπου γε	»	»	Politic. 285 D.
ἤτριον	»	»	» 310 E.
Θάσιος παῖς	»	»	Gorg. 448 B.
κανθήλιος	»	»	Symp. 221 E.
κάνθων	»	»	» »
καταντικρύ	»	»	Charmid. 153 A.
κατὰ σόμα	»	»	Legg. IX. 855 D.
κερασβόλα	»	»	» IX. 853 D.
λυγιζόμενος	»	»	Rep. III. 405 C.
λυόμενος	»	»	Tim. 22 D.
μανδραγόρας	»	»	Rep. VI. 488 C.
μινυρίζων	»	»	» III. 411 A.
μύρτα	»	»	Epist. XIII. 361 B.
νεωκορήσει	»	»	Rep. IX. 574 D.
νυκτερίδος αἶνος	»	»	» V. 479 C.
ξυσίδα	»	»	» IV. 420 E.
πλόχανον	»	»	Tim. 52 E.
πνύξ	»	»	Criti. 112 A.
προσαγώγιον	»	»	Phileb. 56 B.
Ῥαδαμάνθυος ὅρκος	»	»	Apolog. 21 E.
σκολιόν	»	»	Gorg. 451 E.
σκολύθρια	»	»	Euthyd. 278 B.
τενάγη	»	»	Tim. 25 D.
τιάρα	»	»	Rep. VIII. 553 C.

Possum plura exempla addere, sed jam satis superque demonstrasse mihi videor Scholiastam Platonis praeter alia quae nunc non curamus, adhibuisse utrumque libellum Boethi. Itaque eo iam pervenimus ut e Photio, atque ubi ille deficit, e Suida, collato cum Scholiasta de Boetho iudicium ferre possimus. Ac primum ne quis libellos contemnat quos Photius in Bibliotheca haud magnae molis fuisse indicat, appellat enim *συνταγμάτιον* et *σπουδασμάτιον*, laudabo aliquot glossas luculentiores ut his tanquam exemplis illi utantur, qui haec studia attingere velint neque tamen perdiscere. Inspiciat igitur mihi quis glossas *ἥ δ' ὅς* coll. c. Schol. Phaed. 65 B.; *Κυψελιδῶν ἀνάθημα* coll. c Schol. Phaedr. 236 B.; *ὀργεῶνες*, *ὀρτυγοκόπος*, *παιδικά* coll. c Schol. Parm. 127 B.; *περιαγειρόμενοι*, *τευτάζειν* coll. c. Schol. Phileb. 56 E.; *φαῦλος* coll. c. Schol. Alcib. 147 D. Rep. IV. 423. Similia e Scholiasta excitari possunt, ut Schol. Hipparch. 229 D. de voce *τέως*, cet.

Nondum absoluta sunt quae de Boetho investigari possunt. Verbi causa Cobetus in Mnem. IX. 433 patriam Alexandriam fuisse suspicatur sed tempus quo vixit non indicat. Prodit ni fallor e consideratione Scholii ad Rep. V. 473 C., ubi ad nobilem locum adscriptum est: *τὶ λέγει ὅπερ ἐπὶ Μάρκου τοῦ φιλοσόφου βασιλέως Ῥωμαίων ἀπέβη*. Floruit igitur Boethus post excessum Marci Aurelii. Haec autem suspicio confirmatur iis quae notabimus de fontibus quibus usus est. Hinc Boethus in Photii glossa *λινὸν λινῷ συνάπτεις* coll. c. Scholl. Euthyd. 298 C. laudare potuit Aristidem cognomine *τὸν ῥήτορα*, scilicet ut a Paroemiographo distinguatur. Neque hoc praetermiserim duos Boethos, patrem et filium frequenter occurrere in Epistolis Libanii. Hic laudatur autem, a Boetho ut videtur, apud Photium v. *ἤκισα* et Schol. Legg. X. 899 D.

Sed videamus quos Boethus potissimum sequatur. Primum ter laudat Clementem glossarum Platonicarum interpretem, apud Photium vv. *ζάλη*, *Ἥρας δεσμούς* et *παλίμβολος*. Dixit de Clemente Ruhnkenius in Praefatione ad Timaeum. Secundus est ipse noster de quo toties diximus Aelius Dionysius. Conficio hoc e Schol. Rep. V. 470 D. ubi haec leguntur: *ἀλιτηριώδης· πρὸς βίαν ποιουμένη ἢ ἁμαρτανομένη, ἐκ τοῦ ἀλιτήριοι ὀνόματος παρηγμένη· κατὰ Διονύσιον γὰρ τὸν Ἁλι-*

καρνασσέα λιμοῦ γενομένου Ἀθήνησιν οἱ πένητες προφερόμενα ἄλευρα διήρπαζον· ἐλέχθησαν οὖν οἱ τοὺς ἁλοῦντας ἐπιτηροῦντες ἁλιτήριοι· διέτεινε δὲ τὸ ὄνομα ὥστε καὶ ἐπὶ πάντων τῶν μετὰ βίας τι ποιούντων ἢ ἁμαρτανόντων λέγεσθαι. Contracte eadem leguntur in Schol. Legg. IX. 854 B.; paulo plenius et emendatius in sexto lexico Bekk. p. 377. 11, h. e. in eo lexico quo plurima excerpta e Dionysio continentur. Sed ne falsa imagine decipiamur, videndum est an alia in Boetho reperire queamus, quae indidem sumta sunt.

Ad Hippiam Minorem p. 368 C. Scholiasta sic adnotat: λήκυθον ἀγγεῖόν τι Φασιν Ἀττικοί, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς ἔφερον τὸ μύρον, τὴν ἀλάβαστρον· ἀρσενικῶς δὲ τὸν ἀλάβαστρον εἶπεν Ἡρόδοτος (III. 20)· ἐχρῶντο δὲ καὶ ἀντὶ Φασκωλίων ληκύθοις, ἅ ἐστι δερμάτινα βαλλάντια (Φάσκωλος δὲ τὸ μέγα εἰς ὃ τὰ ἱμάτια ἐμβάλλεται)· διὸ καὶ τοὺς ἀπόρους αὐτοληκύθους ἔλεγον. Non dissimilia leguntur apud Photium, sed in duas glossas discerpta. De voce autem ἀλάβαστος Boethus Dionysium sequitur qui adnotare solebat de generibus nominum et de hac voce dicit apud Eust. p. 1161. 29. Indidem sextum lexicon Bekk. p. 374. 6. Alia exempla observabis Schol. Alcib. 118 E. de voce μαμμᾶν coll. c. Eust. p. 971. 20 et 565. 19; Schol. Symp. 205 A. de voce τέλος coll. cum fragmentis ex lexicis rhetoricis excerptis ab Eust. p. 881. 25; Schol. Criti. 111 B. de forma σᾶ, qui locus imprimis est luculentus, vide quae supra diximus p. 33; alia fortasse.

Considerandi nunc sunt quatuor loci quibus Boethus Diogenianum laudat, quem credo eum non ipsum inspexisse sed per Dionysium cognovisse, ut infra ostendere conabor. Nempe Diogenianus affertur a Schol. Lysid. 206 D., ubi agitur de voce Ἑρμαῖα· λέγεται δὲ καὶ παίδων οὕτως ἀγὼν παρὰ Συρακουσίοις ὡς φησι Διογενιανός. Glossa in Hesychio periit. Secundus locus est in Scholiis ad Hipp. Mai. 301 B.: διανεκῆ· διὰ παντός, οὕτω καὶ Διογενιανός. Habet Hesychius. Tertius locus est in Schol. Legg. IV. 718 E.: ἀνιδιτί· ἀνιδρωτί, ὡς ἐν τῷ Διογενιανῷ. Itidem apud Hesychium legitur. Quartus denique locus hic est: Schol. Ion. 533 D.; Διογενιανὸς δὲ Μαγνῆτιν μὲν πλανᾶν λέγει τὴν ὄψιν λίθον ὡς εἴη ἀργύρῳ ἐμφερής, τὴν δὲ Ἡρακλεῶτιν ἐπισπᾶσθαι τὸν σίδηρον. Sic breviter Scholiasta, sed plura e

Boetho servavit Photius: Ἡρακλείαν λίθον· τινὲς τὴν Μαγνῆτιν ἀπέδοσαν διὰ τὴν Ἡρακλείαν τῆς Μαγνησίας· ἔνιοι δὲ ὅτι ἡ μὲν ἐπισπωμένη τὸν σίδηρον Ἡρακλεῶτις, ἡ δὲ Μαγνῆτις ὁμοία ἐσὶν ἀργύρῳ, ὡς Εὐριπίδης Οἰνεῖ·

τὰς βροτῶν
γνώμας σκοπῶν ∪ ὥσε μαγνῆτις λίθος
τὴν δόξαν ἕλκει καὶ μεθίσησιν πάλιν.

οὐ λέγει νῦν ὑπὸ τῆς μαγνήτιδος λίθου τὸν σίδηρον, ἀλλὰ τὴν τῶν θεωμένων δόκησιν ἕλκεσθαι πλανωμένην ὡς ἐπ' ἀργύρῳ. Vidimus Boethum hoc habere e Diogeniano, quem cur existimem Boethum non ipsum adiisse sed per Dionysium cognovisse dicam. Alia glossa est apud Photium: Ἡρακλεώτης λίθος· ὁ ὑΦ' ἡμῶν μάγνης, ὁ ἐπισπώμενος τὸν σίδηρον· Ἡρακλεία γὰρ ἐλέγετο ἡ Μαγνησία, quae e Dionysio excerpta esse constat ex Eustath. p. 338. 26. Nunc inspiciamus Hesychium: Ἡρακλεία λίθος· ἣν ἔνιοι μαγνῆτιν λέγουσιν, οὐκ ὀρθῶς· διαλλάττουσι γάρ· καὶ ἡ μὲν ἐπισπωμένη τὸν σίδηρον Ἡρακλεία ἐσίν, ἡ δὲ ἑτέρα παραπλήσιος ἀργύρῳ, ὥσε Πλάτων ἁμαρτάνει τὴν αὐτὴν ὑπολαμβάνων μαγνῆτιν καὶ Ἡρακλείαν ἐν Ἴωνι· καὶ γὰρ αὐτὸς ἀλλαχοῦ ἑτέρως καὶ ἑτέραν φησί· κέκληται δὲ οὕτως ἀΦ' Ἡρακλείας τῆς ἐν Λυδίᾳ πόλεως· διὸ καὶ ΣοΦοκλῆς Λυδίαν λίθον αὐτὴν καλεῖ· (cf. Phot. v. Λυδία λίθος)· οἱ δὲ σιδηρῖτιν, οἱ δὲ Ἡρακλεῶτιν. Quia novimus Boethi fragmenta Hesychio inesse, vide v. διὰ πάντων κριτής, velis nolis ex his efficies ipsius Diogeniani glossam quae a Scholiasta Platonis servata est, apud Hesychium interiisse sed apud hunc superesse alteram Boethi observationem ex altero libro excerptam, in eandem quidem sententiam sed in qua aliis verbis utitur et aliis auctoritatibus. Hoc igitur monendum est fallaci argumento usum fuisse Ruhnkenium in celebri illa praefatione ad Hesychium, cum ex hac ipsa glossa demonstrare vellet Diogeniani lexicon Hesychianae farragini inesse. Quamquam verissimum est quod posuit, e Platonicis glossis nihil prorsus effici potest ad causam obtinendam, quia Boethus ut videmus Diogenianum laudat, Hesychius Boethum, unde sequitur postea demum glossas illas Platonicas ab Hesychio Diogeniani copiis admixtas esse. Nunc quidem res in aprico est, sed illustre in paucis exemplum est, quo cognoscas quam caute in his quaestionibus solvendis progrediendum sit, nam fere num-

quam lux tam clara lucet ut periculum absit errandi. Error Ruhnkenii — nam quidni errorem dicam in re quae liquido constat? — non erat eiusmodi ut errorem parere posset, sed obfuit tamen quominus vera ratio agnosceretur, qua Hesychius in compilando opere usus sit. Quod autem vidimus Aelium Dionysium a Boetho laudari in Scholiis Platonicis, cum hoc quoque sciamus Diogenianum a Dionysio adhibitum fuisse, facit ut credam Boethum non ipsum Diogeniano usum fuisse. Qui enim potest? Quae apud Boethum optima sunt et notae interioris, ea ut infra demonstrabo fluxere e lexicis comico et tragico Didymi aliisque doctis Alexandrinorum operibus, quae Pamphilus congesserat in unum. Iam si Boetho ad has lautissimas dapes aditus erat, sive ipsi esset inspiciendi copia, sive eas cognovisset per Clementem vel Harpocrationem Platonicum vel quemvis alium, non intelligitur cur Diogenianum laudare potuerit, h. e. eum quem vidimus vix vigesimam partem reliquisse e Pamphili thesauro et optima quaeque omisisse, ita ut liber ex eius manibus exiret haud multo ornatior quam nunc Hesychius est. Absurdum est credere Boethum inspexisse Diogenianum, dum Pamphilum vel alium grammaticum non minus locupletem evolveret. At Dionysium aliquoties cum fructu consulere poterat, nam praecipue in Platone et Thucydide interpretandis hic quaedam scitu digna et vera primus et solus adnotarat. Hinc fieri potuit ut aliquando inspecto Dionysio simul transscriberet quae hic Diogeniano deberet, cuius Dionysius interdum nominatim meminerat. Hinc eundem nostrum Dionysium Halicarnassensem agnosco in Scholiis quibusdam ubi Thucydidis, Platonis, Demosthenis, Xenophontis, Homeri loci conjunguntur et componuntur. Qui ex accurato Photii studio Aelium Dionysium eiusque commentandi rationem percepit, non dubitabit illi reddere quae v. c. e Boetho excerpta sunt ad Charmid. 153 A.

Sed nondum dixi de iis observationibus quibus Boethi opus imprimis doctis hominibus commendatur. Nemo sanus credet grammaticum quem planissime constat Diogeniano esse iuniorem, imo etiam Aelio Dionysio, ipsum usurpasse veteres Alexandrinos, Eratosthenem verbi causa vel Lycophronem, quem vix quisquam ni fallor legit post editos Didymi commentarios. Iam si

patebit Boethum illos ipsos scriptores laudare quos Pamphilus in thesaurum recepit, sequetur opinor id quod dixi eum ex hoc thesauro hausisse.

Praemittam unum locum quo vel solo, si caetera corruant, patebit Boethum non fuisse vetustissimum. Est apud Hesychium locus e Pamphilo deinceps descriptus: Πνύξ· *τόπος Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ αἱ ἐκκλησίαι ἤγοντο πάλαι μὲν πᾶσαι*, ΝΥΝΙ *δὲ ἅπαξ ὅταν στρατηγὸν χειροτονῶσιν.* Scholiasta autem Plat. Criti. 112 A, h. e. Boethus: Πνύξ· *τόπος Ἀθήνησιν ἐν ᾧ ἐκκλησίαι ἐγίγνοντο πάλαι μὲν πᾶσαι,* ΥΣΤΕΡΟΝ *δὲ ἅπαξ, ὅταν τὸν στρατηγὸν χειροτονῶσιν.*

Docta Boethi glossa est apud Photium de voce *παιδικά*. Eam descriptam esse e Didymi commentariis facile intelligimus, nam quis post eum Eupolidem atque Cratinum ea cura et diligentia lectitavit? Nemo opinor. Boethi ipsius nihil est praeterquam quod in fine addidit Platonis locum, qui ei adnotandi causa erat. Sed vis aliud argumentum extrinsecus ductum? Inspice Schol. Arist. Vesp. 1021: invenies eundem locum mutilum, truncatum, neque caput neque pes constat, sed agnosces lexicon comicum.

Glossa Platonica est apud Photium *πέλανοι*, quae partim certe e lexico tragico fluxit, qua de re satisfaciet Harpocration. Aperte significatur Eurip. Orest. 215.

Eodem refer apud Photium glossam *στλεγγίς*, quam Platonicam esse et Boethi si minus credis, persuadebit Schol. Hipp. Min. 368 C. Fluxit autem adnotatio e lexico comico, ut conficio e Schol. Arist. Eqq. 577.

Verum nullus exstat locus magis idoneus ad probandum id quod posui quam Photiana glossa de verbo *τευτάζειν*. Boethi est quod nemo dubitabit. Iam laudantur Didymus, Artemidorus, Heracleo, hoc est tres praecipui scriptores, quos Pamphilus adhibuit, qua de re abunde satisfacient Rankius et Schmidtius. Quod autem Lycophronem affert, id eodem pertinet, sed hunc Pamphilus non ipse versavit, sed tantum cognovit e Didymi excerptis. Nunc intelligimus unde Boethus tam docte disputare potuerit *περὶ τοῦ Κυψελιδῶν ἀναθήματος* et Didymum laudare, nempe Pamphili scrinia compilavit. Agaclytum nescio sed Apellae locus itidem e Pamphilo fluxit, quod colliges ex

Athen. II. p. 63 D. coll. cum Hes. v. *σέμελος*. Glossam *Πράμνειος οἶνος* cuius causa non minus manifesta est, supra iam examinavi.

His praemissis via iam nobis munita est ad fructuosam comparationem Boethi et Hesychii. Quam rem ut explicemus, ut plerique solent qui hoc argumentum attingunt de Grammaticorum Graecorum cognatione, eodem utemur principio et fine, nempe Epistola ad Eulogium, cuius causa numquam dicta videtur.

Ac primum vide, quod nondum commemoravi, Boethum imprimis magna cum diligentia interpretatum fuisse proverbia quibus Plato utitur, de qua re Schneidewinus iam monuit in Praefatione Paroemiographorum, collatis et comparatis Zenobio et Scholiasta Platonis. Sed vide haec exempla apud Photium:

Καδμεία νίκη	coll.	c.	Schol.	Legg. I. 641 C.
καὶ τὸ τοῦ λύκου	»	»	»	Phaedr. 262 C.
καλὰ δὴ παταγεῖς	»	»	»	Euthyd. 293 D.
Μυσῶν λείαν	»	»	»	Theaet. 209 A.
ὁ Διὸς Κόρινθος	»	»	»	Euthyd. 292 E.
οἶνος ἄνευ παιδευτῶν	»	»	»	Symp. 217 E.
ὄνου σκιά	»	»	»	Phaedr. 260 C.
ὀσράκου περισροφή	»	»	»	Rep. 521 C.
οὐδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο	»	»	»	Phaed. 89 C.
ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν	»	»	»	Cratyl. 413 A.

Et apud Scholiastam ad

Phaed.	72 C.	*ὁμοῦ πάντα.*
»	99 D.	*δεύτερος πλοῦς.*
»	108 D.	*Γλαύκου τέχνη.*
Cratyl.	384 A.	*χαλεπὰ τὰ καλά.*
Theaet.	146 A.	*ὄνος κάθου.*
»	153 C.	*Κολοφῶνα ἐπιτιθέναι.*
»	153 D.	*ἄνω κάτω.*
»	164 D.	*μῦθος ἀπώλετο.*
»	181 B.	*ἀκίνητα κινεῖν.*
Sophist.	241 D.	*καὶ τυφλῷ δῆλον.*
Phaedr.	279 C.	*κοινὰ τὰ τῶν φίλων.*
Charmid.	165 A.	*ἐγγύα πάρα δ' ἄτα.*

Lach.	187	B.	ἐν τῷ Καρὶ ὁ κίνδυνος.
»	»		ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν.
Gorg.	447	A.	πολέμου καὶ μάχης.
»	»	B.	ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται.
»	498	E.	δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν.
Rep.	398	A.	μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς.
»	426	E.	ὕδραν τέμνειν.
»	573	C.	σὺ καὶ ἐμοὶ ἐρεῖς.
»	575	C.	οὐδ' ἴκταρ βάλλει.
»	621	B.	μῦθος ἐσώθη.
Legg.	780	C.	εἰς πῦρ ξαίνειν.
Dial. de Justo.			πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.

Sunt multo plura proverbia a Boetho notata, sed affatim iam habemus exemplorum e quibus colligamus praecipuam aliquam curam ab eo fuisse positam in proverbiis interpretandis. Nunc vide conjecturam, nam satis habebo si consecutus ero ut tota res verisimilis videatur. Dicit Hesychius in Epistola ad Eulogium: ἐβουλόμην δ' αὐτὸν, Diogenianum scilicet, μήτε τὰς πλείους τῶν παροιμιῶν ψιλῶς καὶ ἄνευ τῶν ὑποθέσεων τεθεικέναι μήτε ..... Non disputo nunc quae sint αἱ τῶν παροιμιῶν ὑποθέσεις· hoc intelligimus Diogenianum in lexico parum curasse proverbia. Tum alia in Diogeniano vituperat Hesychius quae nihil ad nos, et addit in fine: ἅ τινα σύμπαντα καὶ τῆς παρ' ἡμῶν ἐπιμελείας δεηθέντα κατὰ δύναμιν τετύχηκε πάσης, quae sic interpretor Hesychium cum alia addidisse, quae ipsi in Diogeniano desiderari viderentur, tum proverbiorum enarrationes. Quod ut verisimile videatur, effecit Vossii diligentia qui vol. II. p. 73 n. 1.: *Nullae fere paroemiae suo loco*, h. e. Hesychius ipse addidit. Hoc quoque mihi intelligere videor cur Diogenianus proverbia omiserit; Pamphilum enim omisisse nemo sibi persuadebit; nempe ea reservavit peculiari libro cuius epitomen etiamnunc habemus, non inseruit lexico. Hesychius autem supplevit. Unde? Nempe laudat Boethum v. διὰ πάντων κριτής· hunc sequitur in proverbiis explicandis, alios fortasse, quorum memoria nondum redintegrata est, sed Boethum mecum agnoscis. Superest ut videamus an Boethi clara vestigia in Hesychio supersint. Neque excerpsit omnia, aut, si excerpsit, multa periere; ex iis proverbiis certe quae supra laudavi vix

unum invenias quod Hesychius quoque habet. Sed tot exempla supersunt, quibus conjecturam meam comprobem, ut chartae parcendum sit et plurima indicare tantum possim non exscribere. Primum contendemus Platonica proverbia apud Photium.

Huius itaque glossa est ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι, quacum confer aliam τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι. Illam certe e Boetho excerptam esse ostendit Schol. Legg. XII. 968 E. Quid autem Hesychius? Quaedam resecuit, sed utitur verbis prorsus iisdem quibus Scholiasta.

Photius interpretatur λινὸν λινῷ συνάπτεις· glossa pertinet ad Euthyd. 298 C. ibique Scholia paulo plura servarunt quam Photius habet. Hesychius enarrat tribus verbis, sed ita ut agnoscas eundem.

Proverbium est πάντα κάλων σείειν. Iisdem fere verbis utuntur Photius, Hesychius et Schol. Sisyph. 389 C.

Affertur apud Photium πῦρ ἐπὶ πῦρ e Plat. Legg. II. 666 A. Verbis iisdem utitur Hesychius qui itidem Platonis meminit.

Docta imprimis est Photii glossa Σαρδόνιος γέλως, quam Schol. itidem e Boetho repetit ad Rep. I. 337 A. Vide quomodo Hesychius eadem contrahat in brevius.

Ad glossam ὑπέρου περιτροπή confer Schol. Theaet. 209 D et Hesychium. Agnosces manum eandem.

Inspice apud Photium glossam τρίτου κρατῆρος. Planissime indidem habet atque Schol. Phileb. 66 D. Verbis fere iisdem Hes. v. τρίτος κρατήρ.

Non est alia glossa magis idonea ad causam meam obtinendam, quam λευκὴ σάθμη, quam vide apud Phot. Hes. et Schol. Charmid. 154 B. Omnes utuntur iisdem verbis, sed Hesychius de more pauciora habet.

Contra in glossa πόλεις· παίζειν plurima habet Hesychius, pauciora Photius; parum restat apud Schol. Rep. 422 E.

Alia proverbia sunt quorum memoria apud Photium intercidit, sed quae Scholiasta tantum cum Hesychio servarunt. Duplex est Scholion ad Euthyphr. 3 A: ἀΦ' ἑσίας, excerptum ut videtur ex utroque Boethi libello. Alteram partem confer cum Hesychio; videbis de more hunc quaedam omisisse.

Explicatur proverbium ἱερὸν συμβουλή a Scholiasta ad Theag. 122 B. Pauca quaedam Hesychius servavit.

Proverbium est αὐτὸ δείξει, explicatum a Schol. Hipp. Mai. 288 B. Quod apud Hesychium superest, ita comparatum est ut sine Scholiasta ne intelligi quidem possit. Peius etiam est habita glossa Βάλλ' ἐς Μακαρίαν· descripsit e Boetho enarrationis initium, sed tam pauca ut ne sententia quidem constet, supplenda e Schol. Hipp. Mai. 293 A.

Confer quoque Schol. Rep. 493 D. ubi explicatur Διομηδεία ἀνάγκη cum Hesychio; animadvertes alterum ex altero supplendum esse.

Denique conveniunt Hes. et Schol. Eryx. 405 B. de proverbio λίθον ἐψῆσαι.

Addo Hesychium in tali argumento Platonem haud raro laudare. Iam vidimus de glossis αὐτὸ δείξει, πῦρ ἐπὶ πῦρ, Ἡρακλεία λίθος, διὰ πάντων κριτής· accedant δευτέρων ἀμεινόνων coll. c. Schol. Legg. IV. 723 E.; ἐμμέλεια coll. c. Ael. Dion. ap. Eust. p. 1167. 20; τὸ παρὸν εὖ θέσθαι in qua Platonis Gorgias laudatur; denique ἐγγαστρίμυθος quem locum exscribam ut componam cum docto Scholio ad Sophist. 252 C. Ibi Plato facete de iis qui sibi in disputando perpetuo contradicunt: τὸ λεγόμενον οἴκοθεν τὸν πολέμιον καὶ ἐναντιωσόμενον ἔχοντες ἔντος ὑποφθεγγόμενον ὥσπερ τὸν ἄτοπον Εὐρυκλέα περιφέροντες ἀεὶ πορεύονται. Ad hunc locum Scholiasta, i. e. Boethus: παροιμία ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς τινὰ κακὰ μαντευομένων, λεγομένη ἐξ Εὐρυκλέους ἐγγαστριμύθου μάντεως, ἀφ' οὗ καὶ γένος τι μάντεων Εὐρυκλεῖς ἔλεγον· ἐγγαστρίμυθος δέ ἐστιν ὁ ἐν γαστρὶ μαντευόμενος· τοῦτον τὸν ἐγγαστρίμαντιν νῦν τινὲς Πύθωνά φασι, Σοφοκλῆς δὲ στερνόμαντιν. καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Σφηξίν (vs. 1014)

μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν.

Φιλόχορος δ' ἐν τρίτῳ καὶ γυναῖκας ἐγγαστριμύθους φησίν. Ex hoc loco haec descripsit Hesychius: ἐγγαστρίμυθος· τοῦτόν τινες ἐγγαστρίμαντιν, οἱ δὲ στερνόμαντιν λέγουσι. Φησὶ δὲ περὶ τοῦ τρόπου τῆς μαντείας καὶ Πλάτων ἐν τῷ Σοφιστῇ· τοῦτον ἡμεῖς Πύθωνα νῦν καλοῦμεν. Res manifesta est.

Sed Hesychius non tantum proverbia e Boetho sumsit, habet quoque alia quae verosimiliter hunc auctorem habent. Compone v. c. cum Hesychio Photianas glossas ἆ, ἀδημονῶν, ἐρήμη δίκη, εὐκράς, εὐκταῖον, ἐχέγγυος, ἑταίρα, εὐηθείας, εὐερκείας, ἰδίειν, νεός ἐσι καὶ ὀξύς, ὀλιγαρχούμενοι, παροιμία, al. Difficile est

iudicare de glossa τέμνειν coll. c. Schol. Epist. VIII. 353 C. Quid lateat nondum divinare potui.

Non hoc ago nunc ut demonstrem quem usum Boethus perite tractatus habeat ad Platonis emendationem, sed unum exemplum dabo ut haec quoque res cognoscatur. Habet Photius glossulam Φορβάδας· τοὺς ἐν τῇ γῇ βοσκομένους. Hunc solum usum istae observationes habent, ut intelligamus quae voces apud Graeculos interpretatione egere viderentur, quae res nunc vide quid valeat ad interpolationes eliminandas. Legitur apud Platonem in Legg. II. 666 E.: οἷον ἀθρόους πώλους ἐν ἀγέλῃ νεμομένους Φορβάδας τοὺς νέους κέκτησθε, unde primum apud Photium emendabis: τοὺς ἐν ἀγέλῃ βοσκομένους pro ἐν τῇ γῇ· tum resecto interpretamento apud Platonem scribe: οἷον πώλους Φορβάδας τοὺς νέους κέκτησθε. Sed haec de Boetho satis sunto.

§ 8.

De Aristophane Byzantio.

Nondum satis alte repetita quaestio est de fontibus Aelii Dionysii, quem video multa debere Aristophani Byzantio, de cuius studiis nunc videndum est. Non quaero de Eustathio qui veterem grammaticum nescio quomodo cognovit, nam habet ex eo quaedam excerpta quae in rhetoricis lexicis non legebantur, sed Dionysius unde mihi illius notitiam accepisse videatur exponam. Si Pamphilum adiisset, potuisset ex eo haurire, nam hic et per Didymum et per alios multos Aristophanis aliquot fragmenta recepit, unde in Athenaeum et in Diogenianum fluxere, sed ne levissimum quidem est indicium quo hoc comprobes, imo multa sunt quae suadeant ut contra statuas. Habet autem Dionysius ex Aristophane multo plura quam Diogenianus in epitome reliquit, nam ea quae volo fragmenta, apud Hesychium fere desunt. Non prorsus certa res est, sed mihi verisimile videtur Dionysium nonnulla certe per Tryphonem cognovisse. Dicam deinceps de utroque grammatico, ducibus Nauckio et Velseno, quorum utiles sunt commentationes de horum Alexandrinorum studiis.

Dignus est Aristophanes Byzantius cui sua reddamus, nam ut alii grammatici bene multi soliti fuerint aliena furari, ipse ab ea labe immunis est. Quin et ultro insectabatur, si quos deprehendisset in re litteraria graculos. Hinc etiamsi Homero excepto neminem Menandro magis diligeret, arguit tamen ἀφ' ὧν ἔκλεψε comicus poeta peculiari libello, ut Porphyrius auctor est, cf. Nauck. p. 280. Hoc quoque studio meruit ut bibliothecae Alexandrinae praeficeretur, cum regi demonstrasset in conventu ludorum poetas quosdam, populo ut placerent, non sua recitasse sed aliena, quam rem suaviter narravit Vitruvius VII. praef. Sed optimum iudico ipsum Nauckium virum diligentem, ducem sequi; qua in re ne me quoque quis furti insimulet, identidem affirmo me gratum profiteri quantum et illi et aliis doctissimis viris debeam, sine quibus hanc quaestionem quippe latissimi ambitus ne aggredi quidem potuissem.

Doctum opus quod Ἀττικὰς λέξεις inscripserat, Aristophanes in capita distribuerat, in quibus collegerat vocabula quae ad idem argumentum pertinerent, nam literarum ordinem non curabat. Pauci tituli innotuere sed celebratum est caput quo egit περὶ ὀνομάτων ἡλικιῶν, quam rem quam copiose tractaverit, discere possumus ex excerptis apud Eustathium, v. c p. 727. 14. Hos locos si contuleris, non dubitabis ex Aristophane fluxisse quae Photius habet v. συνέφηβος, cf. Nauck. p. 97. Adde fortasse glossas σκυρθάνια et κυρσάνια, quae corruptae quidem sunt, sed manifesto referendae ad Arist. Lysistr. 1248.

Collato Eust. p. 1404 extr. apparet Aristophani deberi Photii adnotationem de voce λιπογνώμων· ipse autem Aristophanes, ut saepe alias, usurpavit Aristotelem de Historia Animalium, cf. Nauck. p. 101. Docuit Aristophanes eodem loco quae sint θυσίαι δωδεκῆδες, sed alibi Eustathius p. 1386. 48 similia tradit e Pausania, cuius fontem nunc agnoscis. Corrupta est Photii glossa προτήνιον· ἡλικία τις αἰγός, quam compone cum Aristophanis fragmento ap. Eust. p. 1625. 33. Neque nunc miraberis perverti Aristotelicam doctrinam Hist. Anim. VI. 24. 1 apud Photium v. ἴννος, nam intelligis per quot vicissitudines observatio tandem ad Photium pervenerit, cf. Nauck. p· 108. Ὄβρια καὶ ὀβρίκαλα quae sint, itidem Photius debet Aristophani, cuius doctam disputationem Aelianus servavit N. A. VII. 47,

cf. Nauck. p. 111. Itidem glossae ὀρτάλιχος et νεβρός.

Commentatio Aristophanis περὶ τῶν συγγενικῶν ὀνομάτων itidem ἐκ τῶν Ἀττικῶν λέξεων decerpta est. Agmen ducat glossa οἰκεία in qua Photius nominatim Aristophanis meminit. Adde glossas ἀγχισεῖς, ὅμαιμος et imprimis πενθερά, coll. cum Aristophane ap. Eust. p. 648. 53. Ibi non convenit inter Aristophanem et Aelium Dionysium de significatione vocabuli γάλως, sed ita tamen ut manifesto appareat aut Aelium ipsum aut eum quem usurparet, cognitam habuisse Aristophanis observationem. Crediderim Tryphonem inter utrumque interesse, nam hic idem argumentum persecutus erat, cf. Schol. Hom. Iliad. γ. 122 et Ammon. p. 54. Praeterea Nauckius p. 136 recte suspicatur Aristophanem non omisisse voces εἰνατέρες et ἀέλιοι, de quibus est Dionysii observatio Eust. ll. Eodem pertinent τήθη, τηθὶς et τηθαλλαδοῦς apud Photium, quae an ex Aristophane Dionysius habet, dubitare non sinit Eust. p. 971. 20, cf. Nauck. p. 141 sqq.

Itidem eo pertinent Photii glossae πάροχος, ζεῦγος ἡμιονικόν, νυμφαγωγός, νυμφεύτρια, quas credibile est per Pausaniam ex Aristophane in Photii farraginem fluxisse, coll. Eust. p. 652. 41 et p. 833. 49.

Tertium Aristophanis caput memoratur περὶ προσφωνήσεων, cuius luculentum est fragmentum apud Eustathium p. 1118. 8. Hinc ductas suspicor Photii glossas πάπας, μαμμίαν, μάμμην, scilicet per Aelium Dionysium cf. Eust. p. 971. 20 et ἄπφα in lex. rhet. Bekk. p. 441. 11.

Vocabulum ἀναστεισίφαλλος Aristophanes adnotat ap. Eustath. p. 1921 fin. et Aelius Dionysius p. 1413. 32 apud eundem. Itidem vide Aristophanem ap. Eust. p. 1522. 54 de vocabulo ὦτος et Aelium Dionysium ap. Eust. p. 561. 7. Deinde ἄγγαρος in Aristoph. Fragmt. Parisin. § 21 et apud Ael. Dion. ap. Eustath. p. 1853. 60, vide Nauck. p. 172. Σάννας est apud Photium et convenit Aristophanes ap. Eust. p. 1761. 22. Quid sit ἄμβων docet Erotianus p. 86 secundum Aristophanem; vide Dionysii locum pleniorem ap. Eust. 1636. 43. Ex eodem Erotiano novimus Aristophanem interpretatum fuisse vocem δίοπος. idem argumentum tractat Dionysius ap. Eust. p. 203. 14. Itidem compone Photium v. κρησέρα cum Aristophane ap. Erotianum

p. 232. Patriarcha indicat quid sit κωλακρέτης· convenit Schol. Arist. Av. 1541 secundum Aristophanem.

Sequor fragmentorum ordinem apud Nauckium et offendo p. 191 e Fragmt. Parisin. Aristoph. § 21 haec: Ξένοι λέγονται οἱ ἐξ ἑτέρας πόλεως εἰς ἑτέραν ἐπιδημοῦντες· ἰδίως δὲ πάλιν τινὸς ξένοι, οὓς ἐν τῇ ἰδίᾳ τις ὑπεδέξατο οἰκίᾳ καὶ συγκατέπραξε τὰ χρήσιμα. Ἰδιόξενοι δέ εἰσιν οἱ ἐκ πλείονος χρόνου, τυχὸν δὲ καὶ ἀπὸ πατέρων παραδοχῆς, τηροῦντες ἀλλήλοις ὁμόνοιαν, κἂν τῇ οἰκήσει καὶ ταῖς πατρίσιν ἀλλήλων ἀπέχωσιν, οἱ καὶ διὰ σφραγίδων καὶ ἄλλων συμβόλων ἀλλήλοις δύνανται ὁμιλεῖν καὶ οὓς βούλονται συνισάναι. Πρόξενοι δὲ καλοῦνται οἱ κατὰ δόγμα πολιτικὸν προσάται πόλεων ὅλων γενόμενοι καὶ Φροντισαί. Δορύξενοι δὲ ὡς εἰκός, οἱ κατὰ τὸν πόλεμον Φιλοποιησάμενοι. Itaque non dubitabis Aristophanem fontem esse illorum fragmentorum e lexicis rhetoricis apud Eust. p. 405. 36: ἰσέον δὲ ὅτι τεσσάρων τούτων ὄντων προξένων ἀσοξένων δορυξένων καὶ ἰδιοξένων, πρόξενοι μὲν κατ' Αἴλιον Διονύσιον οἱ ὅλης πόλεως ξένοι, παρ' οἷς καὶ πρέσβεις κατάγονται καὶ αὐτοὶ πρεσβείας προσάγουσι πρὸς τὸ δημόσιον· ἀσόξενοι δὲ οἱ ἐκ προγόνων μὲν ἀσῶν αὐτοὶ δὲ ξένοι καὶ ἀνανεώσεως δεόμενοι, ὁποῖος Ἀγαμέμνων ἐν Λυδίᾳ· δορύξενοι δὲ οἱ ἐκ πολέμου ξένοι γεγονότες τισίν· ἰδιόξενοι δὲ οἱ ἰδίᾳ καθ' αὐτοὺς ξένοι ὄντες. Παυσανίας δὲ περὶ ἀσοξένων οὕτω φησίν· ἀσόξενοι οἱ γένει προσήκοντες τῇ πόλει τὸ ἀνέκαθεν, οὐκ ὄντες δὲ πολῖται, ὡς ἐν Κορίνθῳ Γλαῦκος ὁ Ἱππολόχου τοῦ Βελλεροφόντου. Ἕτεροι δὲ οὕτω· ἀσόξενοι οἱ γένει μὲν ἐξ ἀρχῆς προσήκοντες, ἐπὶ δ' ἀλλοδαπῆς γεγονότες. Περὶ δὲ δορυξένου ὁ αὐτὸς Παυσανίας φησίν, ὅτι δορύξενος ὁ ἐκ πολεμίων φίλος καὶ ὁ πρεσβεύων περὶ λύτρων, εἰ ζωγρηθεῖέν τινες. Aelii Dionysii fragmentum servavit etiam Photius in v. ἰδιόξενος, cf. lex. rhet. Bekk. p. 456. 5. Eum ex Aristophane profecisse manifestum est; illud quoque ὁποῖος Ἀγαμέμνων ἐν Λυδίᾳ de more Aristophanis est, qui pari modo apud Eust. p. 648. 53 ἑκυρὸς ὁ τοῦ ἀνδρὸς πατὴρ τῇ νύμφῃ καὶ ἑκυρὰ ἡ μήτηρ, οἷον τῇ Ἑλένῃ ὁ Πρίαμος καὶ ἡ Ἑκάβη et mox: ἡ μὲν Κασάνδρα τῇ Ἑλένῃ γάλως ἐστίν, ὁ δὲ Ἕκτωρ δαήρ.

Itidem Aristophani reddiderim Photii glossam θῆσσα, coll. Eust. p. 1246. 10; οἰκέτης, coll. Eust. p. 566. 12; οἰκότριψ, coll. Eust. p. 1327. 22; ᾠά, coll. Eust. p. 1828. 56 et p. 877.

49, de quo vocabulo luculenta supersunt veterum grammaticorum testimonia, vide Nauck. p. 197. Fortasse quoque *ϛεγανόμιον*, coll. Eust. p. 1761. 22.

Manifesta res est de vocabulo *μασχαλίσματα* cuius explicationem Photius profitetur se Aristophani debere. Descripsit autem Didymus, cf. Schol. Soph. El. 445 et de eo M. Schmidt. Didym. p. 105. Eidem redde Photii glossas *λύσιοι τελεταί*, *Πηλέως μάχαιρα*, *κέδροπα* coll. c. Erotian. p. 392; denique *συρβηνεύς*, *συώδης*, *συρβάβυττα* coll. Etym. M. p. 736. 23.

Hoc addendum est Aristophanem Byzantium epitomen conscripsisse Aristotelis operis de Historia Animalium. Hinc Athen. III. 89 D. locum habet de pinnophylace, Photius glossam *πινοτήρης*· et alia eiusdemmodi conquiri possunt.

Nunc de Tryphone dicendum est, cui significavi Dionysium Aristophanica sua magnam partem debere.

Tryphonis Alexandrini qui Augusti tempora attigit, libros a multis olim lectos et laudatos fuisse apparet; hinc igitur factum est ut eum in tanta veterum grammaticorum iactura quodammodo aestimare possimus; laudat enim aliquoties Athenaeus secundum Pamphilum; usurpavit Stephanus Byzantius; saepe excitatur ab Apollonio et Herodiano; aliquoties testimonium dicit apud Ammonium. Eustathius laudat quidem sed fide Athenaei et Herodiani; semel tantum ex lexico quodam rhetorico p. 1291. 43, anonymo illo ut existimo, sed satis ostendi omnia rhetorica lexica quibus uteretur, inter se fuisse simillima, ita ut minime mirum sit in aliis Pausaniam, in aliis Dionysium cum Tryphone conspirare. Ut ut est, Eustathius e Photio emendandus est, nam quum dicit *ἕτερος δέ τις λέγει καὶ αὐτὸς ὅτι δόχμη ὡς ὄχθη καὶ ϛάθμη κατὰ Τρύφωνα*, coll. Photio v. *σπιθαμή*, colligo illud ipsum *σπιθαμὴ* pro *ϛάθμη* reponendum esse, quod mihi dabis si contuleris quae apud Eustathium proxime praecedunt. Hoc vult grammaticus *δόχμη* scribi *παροξυτόνως* ut *ὄχθη* et significare *σπιθαμή*, nempe apud Cratinum, quod Photius docet. Sed inspiciamus Aelii Dionysii fragmentum apud Eustathium p. 906. 50: *θαλάμαι μὲν βαρυτόνως ζωικαὶ καταδύσεις, θαλαμαὶ δὲ τόπος ἱερὸς Διοσκούρων, ὡς Αἴλιος Διονύσιος παρεσημειώσατο*, cf. Phot. Eadem leguntur p. 1541. 45, quibus collatis cum Ammonio p. 68, videbis ante Dionysium

idem iam docuisse Tryphonem. Interest opinor aliquid, observatio sitne Photii qui idem tradit in Lexico an Tryphonis, qui fere mille annis ante vixit. Docet Athenaeus VII. 299 A. Athenienses dicere singulari numero ἔγχελυς, plurali ἐγχέλεις, et advocat fidem Tryphonis. Idem tradit Eustath. p. 1231. 35, quem crederes ut plurimum sequi Athenaeum, nisi disertis verbis adderet se hoc invenisse apud Dionysium. Scripsit Trypho περὶ πνευμάτων· ex Eustathio liquet idem argumentum attigisse Dionysium et apud Lehrsium recensetur inter eos qui de interaspiratione quam vocant, scripserunt. Dionysium sequi Tryphonis auctoritatem etiamnunc apparet, coll. Tryphonis fragmento de nomine ἦδος in Epim. Hom. p. 193. 28 cum Aelio Dionysio ap. Eust. p. 1417. 18. Quin credibile est Dionysium saepe usum fuisse ipsis Tryphonis verbis, quod tum supra apparuit cum laudarem utriusque fragmentum de voce θαλάμαι, tum ex verbis Tryphonis apud Ammonium p. 54 καθὰ καὶ ἡμεῖς ἐκδεχόμεθα, p. 94 καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ συνηθείᾳ προφερόμεθα, p. 137 ὁμοίως ἡμῖν, p. 22 καθάπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ, apud Athen. II p. 53 A. ὃν ἡμεῖς λέγομεν, quibus locutionibus in simili argumento similiter utitur Dionysius.

Sequitur esse debere apud Photium quaedam e Tryphone excerpta. Et revera possumus complura exempla indicare, quae e Tryphone in Dionysium, e Dionysio in Photium fluxerunt. Primum exemplum sit Tryphonis adnotatio de verbo μισήτη, transscripta ab Ammonio p. 94: μισητή καὶ μισήτη· διαφέρει παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς, ὥς φησι Τρύφων ἐν δευτέρῳ περὶ Ἀττικῆς προσῳδίας· ἐὰν μὲν γὰρ ὀξυτονήσωμεν σημαίνει τὴν ἀξίαν μίσους καθὰ καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ συνηθείᾳ προφερόμεθα· ἐὰν δὲ βαρυτονήσωμεν, τὴν καταφερῆ πρὸς συνουσίαν· τὴν δὲ διαφορὰν τῶν σημαινομένων καὶ παρὰ Δωριεῦσί φησι φυλάττεσθαι καὶ παρ᾽ Ἴωσιν. Statim apparebit cur totum locum exscripserim, sed primum compone Photii glossam: μισήτη· τὴν καταφερῆ μισήτην ἔλεγον· τὸ γὰρ μῖσος οὐκ ἄποθέν ἐσι τοῦ μιαίνεσθαι· ὃ γὰρ μισεῖται μεμόνωται καὶ ἀμιγές ἐσιν· ἢ οἱονεὶ μισγητήν τινα οὖσαν· ὃ καὶ βέλτιον· καὶ τὸ ἐν παροιμίας δὲ μέρει λεγόμενον· Περὶ σφυρὸν παχεῖα μισήτη γυνή· κατά τι τοιοῦτο εἰρῆσθαι δοκεῖ· καὶ ὁ Κρατῖνός που ἔφη· Μίσηται δὲ γυναῖκες ὀλίσβοισι χρήσονται· τὸν δὲ ἁπλῶς μισητὸν τὸν ἀνίκανον λέγει· μεταφορικῶς δὲ καὶ ἐπὶ τῆς

ἀπλήσου κατὰ τὴν τροφὴν τίθεται ἡ λέξις. Tum sequitur alia glossa μισητία· ἡ πρὸς ὁτιοῦν ἄχαρις ἀπλησία. Si dubitas Photium haec debere lexico rhetorico, satisfaciet Eustath. p. 1650. 64, qui locus partim plenior est, partim e Photio supplendus est: αὐτὸ δέ γε τὸ μισεῖν κοινότερον ἐπὶ τοῦ ἐχθραίνειν τεθὲν ἡ κωμικὴ σεμνότης ἐπὶ μίξεων ἔθετο ἀσέμνων. Ἀριστοφάνης γοῦν μισητίαν ἐπὶ κατωφερείας ἔφη, ἤγουν ῥοπῆς ἀσχέτου τῆς περὶ μίξεις· ἄλλοι δὲ μισήτην βαρυτόνως πρὸς διαιολὴν τῆς ὀξυτονουμένης τὴν κοινὴν καὶ ῥᾳδίαν, λέγοντες καὶ χρῆσιν αὐτῆς εἶναι παρὰ Κρατίνῳ καὶ Σώφρονι· χρᾶται δ' αὐτῇ καὶ παροιμία ἐν τῷ· περὶ σφυρὸν παχεῖα μισήτη γυνή. Vides Eustathium sequi eundem atque Photium, quem facile intelligimus esse Dionysium. Sed unde haec ipse Dionysius? Nullum exstat indicium eum ipsum Aristophanem grammaticum usurpasse. Sed habet e Tryphone, nam hic quoque laudavit Sophronis locum et alterum illum versiculum: περὶ σφυρὸν παχεῖα μισήτη γυνή, quem Archilochi esse viri docti suspicantur. Unde noverim? Nempe ex Ammonio, qui in Tryphonis verbis τὴν δὲ διαφορὰν τῶν σημαινομένων καὶ παρὰ Δωριεῦσί (φησι) φυλάττεσθαι καὶ παρ' Ἴωσιν, clarissime respicit Doricum poetam Sophronem et Ionicum Archilochum. Non est igitur observatio Photii, non est Aelii Dionysii . . . credes itaque Tryphonis esse. Imo Tryphon quoque alios compilabat. Forte fortuna nunc res liquido constat et tenemus manifestos fures paene dixerim. Inspice Schol. Arist. Av. 1620: μισητίαν δὲ οἱ μὲν περὶ Ἀριστοφάνη τὴν εἰς τὰ ἀφροδίσια ἀκρασίαν· καὶ τό· περὶ σφυρὸν παχεῖα μισήτη γυνή οὕτως ἐξηγοῦνται· μήποτε μέντοι γενικώτερόν ἐστιν ἀπλησία, ὃ καὶ νῦν ἐμφαίνεται. Vides Tryphonem iam adhibuisse Aristophanem Byzantium et ex eo verosimiliter ad nos pervenit Cratini et Sophronis mentio. Est exemplum in paucis memorabile.

Videamus alia quaedam exempla. Docet Tryphon apud Ammonium p. 187 discrimen nominum τρόχος et τροχός et laudat Eur. Med. 45. Idem tradit Eustathius p. 1517. 61 κατὰ τοὺς παλαιούς. Photius in voce addit mentionem eiusdem Euripidei loci.

Ostendit Tryphon apud Ammon. p. 22 differentiam nominum ἁρπάγη et ἁρπαγή. Convenit lex. rhet. Bekk. p. 446. 10, nempe secundum Dionysium, qui de hoc vocabulo itidem

praeceperat, ut novimus ex Eustath. p. 1390. 50 et 906. 48.

Quid intersit inter πονηρός et πόνηρος docet Tryphon ap. Ammon. p. 116. Ex illa observatione pauca supersunt apud Photium in voce.

Interest aliquid inter Δήμητερ et Δάματερ, cf. Tryph. ap. Ammon. p. 40. Vide idem argumentum apud Phot. v. Ἡράκλεις et ὦ Ἡράκλεις.

Confer Photii glossas ἰμαοιδός et ἱμαῖος cum Tryphone ap. Athen. XIV. 618 C.: videbis bis convenire: h. e. Aelius Dionysius sequitur Tryphonem. Ipse autem Tryphon videtur hausisse ex Aristophane Byzantio, ut conficio ex iis quae apud Athenaeum continuo sequuntur. Res eodem redit, quo illud quod supra vidimus de voce μισήτη. Cf. Nauck. Arist. Byz. p. 184 et Velsenum de Tryph. fragmt. 113.

Restat ut videamus de Ammonio cuius observationes, etiamsi non magni fecerim, recentioribus tamen magistellis dignae visae sunt, quas compilarent. Non est operae pretium ut separatim videamus de Thoma Magistro, de Herennio Philone quem Eustathius paulo pleniorem nactus est quam Valckenaerius, de Cyrillo, de Ptolemaeo Ascalonita qui Thoma usus est magistro neque διδασκάλου κρείττων fuit et de Moschopulo, cui Ritschelius contendit Thomam sua debere. Hi igitur omnes Ammonianis usi sunt pro suis; sed ipse Ammonius, seu quocunque nomine gaudet, nam sponte patet hunc non fuisse Ammonium Alexandrinum Tryphonis patrem an magistrum, usus est ut vidimus Tryphone. Eundem grammaticum usurpasse vidimus Aelium Dionysium; sequitur esse de quibus inter Photium et Ammonium conveniat. Exemplis quae iam attulimus, quaedam addam.

Bona pars lexici Ammonii ita comparata est ut sine damno tam puerili doctrina carere possimus, nam quis curat magistrum praecipientem de discrimine inter κύειν et τίκτειν, κύριος et δεσπότης, λείαν et λίαν, λῆμα et λῆμμα? Et sunt plurima alia eiusmodi, non tantum puerilia sed etiam falsa. Sed supersunt alia, quorum aliquis usus est, modo inveneris quis primus dixerit. Agit p. 25 de verbo ὀρρωδεῖν· haec compone cum Photio et Herennio Philone apud Eustathium. Adnotatio de voce βωμός p. 32 excerpta e vetere grammatico Ammonio

Alexandrino, componenda est cum Harpocratione et Phot. v. ἐσχάρα. Ad glossam ἶπες p. 74 cf. Phot. in v. et v. θριπήδεσα. De vocabulo ἰσθμός egerunt Photius et Ammonius p. 76. Quae Ammonius p. 80 habet de voce κάλλαια, vide quoque ap. Phot. in v. et v. ἡμερόκαλλες. Probabiliter sumi potest haec omnia e Tryphone esse. Idem valet de locis quibusdam, ubi Ammonius conspirant et Aelius Dionysius. Ad vocabulum μείραξ p. 90 vide hunc ap. Eustath. p. 1390. 50. Ammonius p. 118 docet quid intersit inter πρόξενος, ἰδιόξενος et δορύξενος· vide Dionysii locum quem supra exscripsi. Denique vide Ammonium p. 135 et 138 de vocabulis τήθη et τηθίς, coll. c. Phot. in v. et Ael. Dion. ap. Eust. p. 971. 20.

§ 9.

De Iulio Polluce et Scholiastis Aristophanis et Sophoclis.

Dicam hac paragrapho quam potero brevissime de Iulio Polluce et Scholiastis Aristophanis et Sophoclis, quos cum potiora sua Didymo debere videam, cum Photio componam.

De Iulio Polluce praeceptore Commodi Imperatoris Philostratus egit in vitis Sophistarum et servavit duo fragmenta ex eius declamationibus excerpta, quae abunde sufficiunt ad eloquentiae genus declarandum. Non utitur verbis obsoletis et intermortuis, sed fundit inanem verborum strepitum, qui nescio quomodo aequalibus placebat. Fuerunt olim homines docti in ea opinione, Pollucem a Luciano rideri in Lexiphane et Rhet. Praeceptore, sed quamquam conjectura ingeniose excogitata est et argumentis nititur satis speciosis, recte tamen Hemsterhusius in Praefatione ostendit alium rhetorem a Luciano peti, cui non Pollux nomen fuerit sed Dioscurides: hoc enim dicit: τοῖς Διὸς καὶ Λήδας παισὶν ὁμώνυμος γεγένημαι, non τῷ Διὸς καὶ Λήδας παιδί, quamquam me quidem iudice hoc loco res non conficitur, nam, si haec ἀκυρολογία est, Romani tamen eodem modo templum *Castorum* nuncupabant. Praeterea in utroque opere, sed imprimis in Lexiphane, Lucianus traducit eos qui Atticos imitantur nullo delectu, nulla prudentia: Pollux tamen, quod in

Onomastico videmus, neque probasset Lexiphanis ineptam loquacitatem et ridiculos calamistros, et in fragmentis apud Philostratum alium dicendi colorem ostendit.

Congessit Pollux in Onomasticum in usum Commodi varias locutiones et dicendi formulas eximie Atticas ex optimis scriptoribus descriptas, sed ita ut in unum colligeret quod ad idem argumentum pertineret. Modo vidimus simile quid praestitisse Aristophanem, sed utile est animadvertere discrimen quod intererat inter vetustos grammaticos Alexandrinos et illos rhetores, qui Antoninorum tempore floruerunt. Cum illi studia conferrent ad veterum scriptorum interpretationem, hi plerumque scriptores veteres parum curabant — nam quis credat Pollucem vel Phrynichum Cratinum vidisse vel Eupolidem quem toties laudant? — sed Alexandrinorum copiis utebantur, Didymi praesertim eorumque qui Chalcenteri scrinia furati erant, ad conquirenda vocabula casca, aequalibus minime intellecta, quibus orationem distinguerent ut multitudini ἀττικώτατοι viderentur. Omnes paratis copiis utebantur; exemplum est, quem toties dixi Athenaeus, qui quam saepe alios non nominatos exscribat, hodie suspicari magis possumus quam demonstrare. Ne ibi quidem suus mihi videtur quum acerbe in Platonem invehitur, sed Didymum ni fallor sequitur, qui (ut erat morosus ingenio et vitam in umbra degens aequalibus ridiculus fuit scriptis sex libris quibus Ciceronis de Republica opus refutavit), Platonem quoque sibi exagitandum sumsisse videtur, quod levi indicio conficio, quod vide apud Schol. Legg. I. 630 A. Sed de declamatoribus satisfaciet Lucianus et simul apparebit Pollucem in veterum imitatione satis sobrium fuisse et modestum; nam neque commendat vocabula a vulgi consuetudine nimis remota et in epistolis ad Commodum, quas singulis libris praefixit, simpliciter et perspicue scribit et verborum ornatum non venatur.

Fontes suos Pollux indicare non solet, sed quia innumeri loci sunt, quibus sive similia sive eadem tradit quae Hesychius vel Photius, manifestum est eum a Didymo pendere. Ipse in inscriptione secundi libri ingenue profitetur: πολλὰ δὲ καὶ οἱ τῷ περιπάτῳ συνήθεις ἐμήνυον ἡμῖν, αὐτοὶ τὰ παρ' αὐτῶν καὶ τὰ παρὰ τῶν ἰατρῶν ἀθροισάμενοι, παρ' ὧν καὶ ἡμεῖς τινὰ τούτων

συνελέξαμεν. In inscriptione septimi libri gloriatur se in hoc quidem libro nullum habuisse quem sequeretur; unde conjectura fiat de superioribus libris. Octavum librum brevi tempore confecit, cum sibi Athenis eloquentiam profitenti quotidie duae orationes habendae essent, ex cathedra una, altera ὀρθοςάδην. Et apparent vestigia aliena, nam multa in hoc libro debet Aristoteli. In inscriptione decimi libri, in qua contendit sibi non satisfecisse Eratosthenis Σκευογραφικόν, satis indicat veteres illos, e quibus sua collegisset, non fuisse scriptores sed grammaticos.

Longum est omnes locos indicare, quibus Photius et Pollux conveniunt et faciam hoc ad singulas Patriarchae glossas. Satis erit pauca exempla hic adnotare.

Agit Pollux III. 38 de vocibus τέλος, τέλειοι, προτέλεια. Convenit Photius, qui sua habet e Pausania apud Eustath. p. 881. 25.

Eodem libro § 59 docemur quid sit πρόξενος, ἰδιόξενος, δορύξενος, ἀςόξενος· vide Phot. v. ἰδιόξενος. Iam dixi superiore paragrapho adnotationem fluxisse ex Aristophanis libris. Paulo infra § 83 disputat de vocabulis εἴλωτες, πενέςαι, κλαρῶται, aliis. Similia Photius, quibuscum convenit lexicon rhetoricum ap. Eust. p. 295. 29. Vide Ruhnk. Tim. p. 213. Veterum scriptorum locos habet Athen. VI. 264. Platonis locus Legg. VI. 776 B. an sanus sit multum dubito, licet vulgatae lectionis patrocinium susceperit Ruhnkenius. Fateor, idem quod nos iam legit Athenaeus in Codicibus suis, sed tamen expuncto τῆς . . καταδουλώσεως, aliquanto melius intelligo: ἐλάττω δὲ ἥ τε Ἡρακλεωτῶν δουλεία τῶν Μαριανδυνῶν ἔριν ἂν ἔχοι. Locus fortasse interpolatus fuit, quia librarius duplicem genitivum non caperet; attamen quod sequitur τὸ Θετταλῶν πενεςικὸν ἔθνος, potuerat Plato eodem modo enunciare τὸ Θετταλῶν ἔθνος τῶν πενεςῶν· sed ἡ Ἡρακλεωτῶν δουλεία τῆς τῶν Μαριανδυνῶν καταδουλώσεως non adducor ut Platonem scripsisse credam. Qui librarius locum conjectura tentavit, fortasse τῶν Μαριανδυνῶν cum ἔριν conjungebat. Sed alii videant.

Unum praeterea locum adscribam: Poll. IX. 53 coll. c. Phot. v. τάλαντον. Vides Pollucem pleniorem esse. Multo plura investigari posse puto de fontibus Pollucis, sed quia res a Photio remotior est, haec nunc satis videntur.

De veterum in Aristophanem Scholiorum fontibus accurate scripsit Otto Schneiderus, qui probare instituit Symmacho unice deberi quidquid ex veterum grammaticorum libris excerptum, in Scholiis in Aristophanem supersit. Non tulit assensum Dindorfii in Praefatione ad Scholia Aristophanica, qui concessit quidem multa Symmacho deberi, sed negavit omnia ex eius commentariis in hodiernam syllogen fluxisse. Neque Schmidtio Didym. p. 285 Schneiderus sententiam probavit. Nihil opus est in nostra quaestione de fontibus Photii hanc litem dirimere, sed satis est observasse, quod nemo negat, Scholiis multa inesse e lexico comico Didymi descripta. Hinc qui Photio utilem operam navare velit, Scholia quoque considerare debet. Dabo huius rei exemplorum quantum satis est.

Primum afferam tres Photii glossas *ὄρρος*, *κεροβάτης* et *μαμμάκυθος* quae a Schol. Ran. 223. 230. 990 nominatim ad Didymum referuntur. Sed glossa est *Ἑρμοκοπίδαι* quam Photius Pausaniae debet, ut constat coll. Schol. Thuc. VI. 27. In ea legitur: *φασὶ δὲ Ἀλκιβιάδην συμπράττοντα Κορινθίοις τοῦτο πρᾶξαι.* Pausaniam hoc fide Philochori retulisse, efficio e Schol. Lysistr. 1094.

Apud Arist. Ran. 191 legitur *τὴν περὶ τῶν κρεῶν*. In Scholio memoratur alia lectio *τὴν περὶ τῶν νεκρῶν*. Collato Photio in voce *κρέας* videmus hanc esse scripturam Ixionis, qui aliquoties in Scholiis laudatur et de quo Schneiderus egit p. 90.

Schol. Vesp. 1035 suppleri potest e Phot. v. *Λαμία*, qui plura servavit, quae Scholiasta omisit, quia nihil facerent ad Aristophanem, cf. Schol. Pac. 757 et Schmidt. Didym. p. 257. Itidem in plerisque conveniunt Phot. v. *λαμπάδιον* et Schol. Acharn. 1174.

Aliquid turbatum est in Schol. Lysistr. 665: *λυκόποδας ἐκάλουν ὡς μὲν Ἀριστέλης τοὺς τῶν τυράννων δορυφόρους· τοὺς γὰρ ἀκμάζοντας τῶν οἰκετῶν ἐπὶ τῇ τοῦ σώματος φυλακῇ ἔβαλλον· λυκόποδες δὲ ἐκαλοῦντο ὅτι διὰ παντὸς εἶχον τοὺς πόδας λύκων δέρμασι περικεκαλυμμένους, ὥστε μὴ ἐπικναίεσθαι ἐκ τοῦ περιέχοντος· τινὲς δὲ λυκόποδας διὰ τὸ ἔχειν ἐπὶ τῶν ἀσπίδων ἐπίσημον λύκον.* Veram scripturam elicies e Photio qui sic: *Λυκόποδας· Ἀριστοφάνης Λυσιστράτῃ· τοὺς πρὸς Ἱππίαν ἀγωνισαμένους ἐπὶ Λειψυδρίῳ, ὡς γενναίους· ἔλαθον γὰρ τοὺς δορυφόρους*

τῶν τυράννων διὰ τὸ κατειλεῖσθαι δέρμασι τοὺς πόδας καὶ λυκόποδας εἶναι· ἢ διὰ τὸ λύκον ἔχειν ἐπὶ ταῖς ἀσπίσιν ἀπὸ Διονυσίου πρώτου. Ultima vocabula non intelligo, sed hoc manifestum est ex hoc loco supplenda esse quae apud Scholiastam exciderunt ante τοὺς τῶν τυράννων δορυφόρους. Sic demum Aristoteli sententiam suam restitues.

Compone Photii v. λυσανίας c. Schol. Nub. 1163; οὐκ ἀποτευκτήσεις c. Schol. Nub. 426; οὐκ ἐπιγλωττήσομαι c. Schol. Lysistr. 37; προφορούμενοι c. Schol. Av. 4; τρύγοιπος c. Schol. Plut. 1087, cet. Ad glossam σισύρα vide quae congessit Schmidtius Didym. p. 62. Unum exemplum addam sed memorabile: Phot. gl. ταυροφάγον comp. c. Schol. Ran. 357, qui e veteribus commentariis multo plura servavit.

Sed Schmidtius demonstravit in docta commentatione de Didymo, quam toties iam laudavimus, inesse doctrinae Chalcenteri fragmenta Scholiis Sophocleis. Operae pretium igitur erit haec cum Photio comparare ut glossarum origines indagentur. Minus moror nunc Photii glossas ζύγαστρον, πλάνος, λύειν τέλη, προνούστερος, ῥαψῳδὸς κύων, προστήριος coll. c. Schol. Trach. 694, Oed. Tyr. 67. 316, Ai. 119, Oed. Tyr. 391 et Electr. 637, sed conferri debet Photius v. νηφάλιοι θυσίαι et νηφάλια ξύλα, quae e Philochoro fluxere, quem Didymus usurpavit, ut patefaciet Schol. Oed. Col. 100, qui multo plura et doctiora de hoc argumento servavit. Sed imprimis consideratione digna est duplex glossa Εὐμολπίδαι. Haec Photius: Εὐμολπίδαι· πατριὰ Ἀθήνησιν ἀπ' Εὐμόλπου· ἐγένοντο δὲ τρεῖς, ὁ μὲν ἐκ Θράκης ἐπιστρατεύσας ὃν οὐ προσποιοῦνται οἱ Εὐμολπίδαι· ὁ δὲ Ἀπόλλωνος καὶ Ἀσυκόμης· ὁ δὲ Μουσαίου καὶ Δηϊόπης. Altera glossa est Εὐμολπίδαι· γένος ἀπὸ (Εὐμόλπου) τοῦ Θρᾳκός, ὃς καὶ τὴν μύησιν εὗρε· ἢ ἀπὸ τοῦ Μουσαίου υἱοῦ, ὃς ἦν ἀπὸ τοῦ δευτέρου πέμπτος, in quibus Εὐμόλπου inserui fide Etym. M. 393. 28. Si contuleris Schol. Oed. Col. 1051, videbis Photium servasse duo lacera fragmenta, alterum Istri, alterum Androtionis, de quo sic Schol.: Ἀνδροτίων μὲν οὖν γράφει οὐ τὸν Εὔμολπον εὑρεῖν τὴν μύησιν, ἀλλ' ἀπὸ τούτου Εὔμολπον πέμπτον γεγονότα. Εὐμόλπου γὰρ γενέσθαι Κήρυκα· τοῦ δὲ Εὔμολπον· τοῦ δὲ Ἀντίφημον· τοῦ δὲ Μουσαῖον τὸν ποιητήν· τοῦ δὲ Εὔμολπον τὸν καταδείξαντα τὴν μύησιν καὶ ἱεροφάντην

γεγονότα. At hoc modo tertius ille Eumolpus non fuit sec. Photium ἀπὸ τοῦ δευτέρου πέμπτος, sed τέταρτος. Vix puto lacunam aliunde sarciri posse, quam indicasse satis habeo. Ergo ne haec quidem mendo vacant quae proxime praecedunt; correxerim: . . . γράφει οὐ τὸν (πρῶτον) Εὔμολπον — ἀλλ' ἀπὸ τοῦ (δευτέρου) Εὐμόλπου πέμπτον γεγονότα.

Ob eandem causam quam exposui conveniunt lex. rhet. Bekk. p. 359. 3 c. Schol. Trach. 94; p. 425. 17 c. Schol. Trach. 119; p. 346. 28 c. Schol. Oed. Tyr. 467; p. 350. 25 c. Schol. Oed. Tyr. 712. Haec cum multis aliis congessit Schmidtius in Didym. p. 95 sqq.

§ 10.

De Phrynicho.

Explorandum est iudicium Photii qui in Bibliotheca satis diligenter refert de Phrynicho, cuius σοφιστικὴν παρασκευὴν se legisse memorat comprehensam libris triginta sex. Sed de librorum numero non satis constat, nam ipse Phrynichus in epistola ad Imperatorem Commodum dicit se iam absolvisse libros triginta septem et profitetur, si per valetudinem liceat totidem se additurum. Suidas vero docet eum reliquisse libros quadraginta septem, secundum alios autem septuaginta quatuor. De his libris cuiusmodi fuerint, e Photio satis constat. Ἔστι δὲ τὸ βιβλίον, inquit, λέξεων τε συναγωγὴ καὶ λόγων κομματικῶν, ἐνίων δὲ καὶ εἰς κῶλα παρατεινομένων τῶν χαριέντως τε καὶ καινοπρεπῶς εἰρημένων τε καὶ συντεταγμένων. Tum addit: κατὰ στοιχεῖον αὕτη ἡ συναγωγή legitque adeo ἀπὸ τοῦ Α μέχρι τοῦ Ω, ita ut suspicari liceat exemplar integrum fuisse et nil defuisse libris triginta septem quos Phrynichus ipse dicit se conscripsisse, sed nescio quo casu duos libros in unum coaluisse. Quamquam non satis intelligo quomodo de opere secundum literarum ordinem conscripto Phrynichus polliceri potuerit se alteros tantum libros additurum esse. Subjungit Photius: ἤκμασε δὲ ὁ ἀνὴρ ἐν τοῖς χρόνοις Μάρκου βασιλέως Ῥωμαίων καὶ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ Κομμόδου, πρὸς ὃν καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ συντάγματος ποιεῖται, ἐπιγράφων· Κομμόδῳ Καίσαρι Φρύνιχος χαίρειν, sicut Pollux

quoque facit. Sed apparet eum libros absolutos Commodo inscripsisse, singulos autem antea iam misisse aliis, quorum nomina Photius perscripsit. Sic primum librum misit Aristocli cuidam et usus est verbis paene iisdem quibus Timaeus in epistola ad Gentianum. Quinto libro accuratius agere se velle dicit *περὶ κλίσεως ὀνομάτων*, sed non satis perspicio quomodo servato verborum ordine, argumentum peculiare potuerit commode persequi. Simul flebiliter queritur *ὅτι τρία νοσήματα αὐτῷ συμπεσεῖν συνέβη, τὴν σύντροφον τῷ γήρᾳ ϛραγγουρίαν καὶ διωλύγιόν τινα καὶ μακρὰν Φρενῖτιν καὶ διὰ γαϛρὸς αἵματος ῥύσιν*, quod miraberis ut eleganter dictum. In praefatione libri undecimi profitetur se nunc primum cognovisse Aristidem quem laudibus effert. Nihil attinet e Photio plura exscribere, sed satis videmus, eum non minus serviliter amicis et patronis adulatum fuisse quam acriter invectum fuisse in aequales qui illo tempore rhetoricam vel sophisticam artem profiterentur. Laudat Photius hominis variam doctrinam, sed carpit importunam loquacitatem ita ut ex grandi opere quatuor partes sine damno resecari posse existimet: *καὶ καλοῦ καὶ ὡραίου λόγου ὕλην ἄλλοις συναθροίζων, αὐτὸς οὐ λίαν τοιούτῳ περὶ αὐτῶν ἀπαγγέλλων ἐχρήσατο ὁ Φρύνιχος*. Omnes hodie opinor Photio adsentientur, nam dum acerbe reprehendit alienos errores, eum contemnimus ubi deprehendimus in facilioribus subinde turpiter titubantem. Bina habemus excerpta ex operibus Phrynichi; prioris opusculi titulus est: *ἐκ τῶν Φρυνίχου τοῦ Ἀρραβίου τῆς σοφιϛικῆς παρασκευῆς*: publici iuris fecit Immanuel Bekkerus. Alterum opus inscribitur: *Φρυνίχου ἐκλογὴ ῥημάτων καὶ ὀνομάτων Ἀττικῶν*, excerptum e libro *περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων*, quem Suidas memorat. Ea epitome olim iam in lucem protracta fuit et post Nunnesii et Scaligeri curas iterum edita est a Joanne Cornelio Pauwio, quem editorem Grammaticus nactus est se dignum, nam si contenderis virum doctum in litibus quas cum Dorvillio exercuit, referre Phrynichi mores, nihil inclementius dixeris. Tertium edidit Lobeckius et libellum ornavit et oneravit adnotationibus, quibus probavit se in nullo Graecarum literarum angulo hospitem esse; an Phrynichi usum aliis aperuerit, hoc fortasse dubitare possis.

Phrynichi liber de nominibus Atticis, quantum ex Ecloga

conjicere licet, praecipue versabatur in notandis aequalium in loquendo vitiis, neque comparandus erat cum praestantia Praeparationis Sophisticae, qua ingens numerus continebatur locorum ex optimis scriptoribus translatorum. Mihi verisimile videtur Phrynichum absoluto minore opere tum demum aggressum esse Praeparationem scribere. Sed illum libellum Corneliano misit, qui a Photio non refertur inter eos quibus maius opus inscripsit. Fuit, ut Nunnesius autumat, Attidius Cornelianus, quem Capitolinus in M. Antonino praefectum Syriae fuisse refert. Phrynichus praeter ea quae in praefatione scribit, hominem in os laudat p. 166, ubi agens de vocabulo πρόσωπον, quo abutebantur aequales eo sensu quo Romani *personam* usurpant, Cornelianum laudibus effert, quod numquam sic peccaverit: Οἱ ἀμφὶ τὰς δίκας ῥήτορες οὕτω λέγουσι παραπαίοντες ἀλλὰ σὺ καθαρὸς καὶ ἀρχαῖος ὢν ῥήτωρ καὶ μόνος μετά γ' ἐκείνους, τοὺς ἀμφὶ τὸν Δημοσθένην λέγω, ἐπανάγων εἰς τὸ ἀρχαῖον σχῆμα καὶ δόκιμον τὴν ῥητορικήν, οὐ μόνον αὐτὸς δυσχεραίνων οὐδεπώποτε ἐχρήσω τῷ ὀνόματι, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ἐκώλυσας χρήσασθαι, ἐξελληνίζων καὶ Ἀττικίζων τὸ βασιλικὸν δικαστήριον καὶ διδάσκαλος καθισάμενος οὐ μόνον αὐτῶν τῶν λόγων οἷον χρὴ λέγειν (ἀλλὰ καὶ) σχήματος καὶ βλέμματος καὶ Φωνῆς καὶ ςάσεως. Digna est quae notetur infamis adulatio et vocabulorum tinnitus nauseam parit. Sed pergit: τοιγαροῦν σε τῶν μεγίςων ἀξιώσαντες οἱ Ῥωμαίων βασιλεῖς ἀνέθεσαν τὰ Ἑλλήνων ἅπαντα πράγματα διοικεῖν παριδρυσάμενοι Φύλακα ἑαυτοῖς, λόγῳ μὲν ἐπιςολέα ἀποφήναντες, ἔργῳ δὲ συνεργὸν ἑλόμενοι τῆς βασιλείας. Credis haec satis videri veteri Grammatico. Imo addit ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ αὖθις. Non minus turpiter se dat p. 184, ubi contendit Menandrum parum pure locutum fuisse et miratur Cornelianum qui mali poetae patrocinium susceperit; tum addit iterum mentione facta honorum quibus Divi fratres hominem extulerant: ἄγε οὖν ὅπως λύσεις μου τὴν ἐν τῇ τοιᾷδε δυσχερείᾳ τῶν ὠτων ἀπορίαν· οὐ γὰρ περιόψεσθαί σε ἡγοῦμαι ἐρήμην ὀφλόντα σου τὰ παιδικὰ Μένανδρον. Potestne insulsius? Phrynichus qui in scribendo numquam suus est, eximie Attice se loqui putabat, si Menandrum Corneliani παιδικὰ vocasset, quia simile quid legerat in Plat. Phaedr. 279 B.

Ineptiae huius generis in Phrynicho permultae sunt, sed

longe plures in Ecloga quam in Praeparatione Sophistica. Verum exempla quaedam exscribenda sunt ut lectores videant Photium haud injuria Phrynichi dicendi genus improbasse. Pag. 22 damnat τελευταιότατον quippe ἁμάρτημα τῶν περὶ παιδείαν δοκούντων τευτάζειν. Vocabulum non de trivio sumtum. Quod Caesar suadere solebat ut tanquam scopulum vitaremus verbum insolens, hoc Phrynichus aut ignoravit aut non curavit. Pag. 30 docet ὀσμὴ dicendum esse: παρανομεῖ γοῦν Ξενοφῶν εἰς τὴν πατρίαν διάλεκτον ὀδμὴ λέγων. Justa profecto indignatio quae eum impulit non ut versus quidem faceret, sed tamen ut peroraret. Pag. 44: σάρωσον ἐπειδὰν ἀκούσῃς τινὸς λέγοντος κέλευσον παρακόρησον λέγειν. Nempe erranti comiter via monstranda est. At quam graviter p. 80: Ἐπεξελευσόμενος· ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς· τοῦτ' οὖν ἔσυρεν ἐκ τριόδου Φαβωρῖνος· χρὴ γὰρ ἐπεξιὼν εἰπεῖν. Exscripsi ut adderem Pauwii mirificam versionem: *impetum facturus erat hic alter Hercules.* Atque hic est Pauwius qui alios acerbe castigare suscipit! Pag. 84: Κολλάβους· τοὺς ἐν τῇ λύρᾳ ἡ μὲν ἄλλη διάλεκτος λέγει· οὐ Φροντὶς Ἱπποκλείδῃ Φασί· σὺ δὲ ὡς Ἀθηναῖος λέγε κόλλοπας. Eleganter hoc quidem sed nihil ad illa p. eadem: μεσοδάκτυλα· ἐναυτίασα τοῦτ' ἀκούσας τοὔνομα. Et p. 96: σικχαίνομαι· τῷ ὄντι ναυτίας ἄξιον τοὔνομα, ἀλλ' ἐρεῖς βδελύττομαι ὡς Ἀθηναῖος. Et p. 102: κορυφαίοτατον· ἐνεκαλυψάμην εὑρὼν παρὰ Φαβωρίνῳ. Doctrinam prodit p. 112 ubi narrat se tandem reperisse utrum dicendum esset εὐαγγελίζομαί σοι an εὐαγγελίζομαί σε, διασκεπτόμενον ἐπὶ συχνὸν δή τινα χρόνον. Quasi dubitari debeat. Pag. 150: καμμύει· τοσαύτη κακοδαιμονία περὶ τινάς ἐσι τῆς βαρβαρίας ὥς' ἐπειδὴ Ἄλεξις κέχρηται τῷ καμμύειν ἠμελημένως ἐσχάτως, αἱρεῖσθαι καὶ αὐτοὺς οὕτω λέγειν, δέον ὡς οἱ ἄριστοι τῶν ἀρχαίων καταμύειν. Ne ad minima quidem connivet acutus grammaticus. P. 160: ἐνεχυριμαῖα· οὐδεὶς τῶν δοκίμων εἶπεν· εἰ δὲ τῶν ἠμελημένων οὐ Φροντὶς Ἱπποκλείδῃ· ἐνέχυρα δέ. Supra iam eandem elegantiam; nunc notandus Thomae Magistri stupor paene incredibilis: Ἐνέχυρα Ἀττικοί, ἐνέχυρον Ἕλληνες· τὸ δὲ ἐνεχυριμαῖον λέγειν ὡς Ἱπποκλείδης ἀδόκιμον. Supersedeo exscribere p. 184. v. γῦρος, v. σύσσημον, p. 190 v. καταφαγᾶς ubi in Menandrum quasi in Atticistam invehitur et propero ad alia.

Scripsit Phrynichus librum de Atticis nominibus ut lectores

moneret ne vitiosam aequalium loquelam sequerentur. Est igitur imprimis utilis ad errores cognoscendos, qui Antoninorum tempore iam in Graecum sermonem irrepserant, nam grammaticus non moneret nisi esset periculum errandi et vidisset imperitiam Favorini, Lolliani qui quamquam Sophista tamen nesciebat quomodo *naves* recte diceret, aliorum. Et miraberis immanes quos notat errores. Docet ea gravitate quam vidisti: Ὅσις inquit ἀρχαίως καὶ δοκίμως ἐθέλει διαλέγεσθαι τάδ' αὐτῷ Φυλακτέα. Non dicendum esse ἐπίναι, κατίναι sed ἐπιέναι, κατιέναι. Non σημᾶναι, θερμᾶναι sed σημῆναι, θερμῆναι. Non περιέσσευσε sed ἐπερίσσευσε. Non πιοῦμαι sed πίομαι. Non ἤλειπται, ὤρυκται sed ἀλήλιπται, ὀρώρυκται. Non ἀπελεύσομαι sed ἄπειμι. Non ὦμοκε sed ὠμώμοκε. Non ποῦ ἄπει sed ποῖ ἄπει. Ηηνίκα dici de parte *diei*. Non dicendum esse πεινᾶν, διψᾶν sed πεινῆν, διψῆν. Non υἱέως sed υἱέος Non τάχιον sed θᾶττον. Non ἀποκριθῆναι sed ἀποκρίνασθαι. Non γρηγορῶ sed ἐγρήγορα. Non ἀγήοχα sed ἦχα. Novicium esse μεσιδιωθῆναι. Ἐπίδοξον non significare ἐπίσημον. Non dici ἐσχατώτατος. Perperam dici εὕρασθαι pro εὑρέσθαι; ἧς pro ἧσθα; ἠκηκόεισαν pro ἠκηκόεσαν; ἀλήθειν pro ἀλεῖν; ἥμην pro ἧ; ἠνίσατο pro ἐνίσατο; Ἡρακλῆν pro Ἡρακλέα; διεφθορὸς pro διεφθαρμένον; καταπροΐξεται pro καταπροίξεται; αἱ ναῦς et τὰς νῆας pro αἱ νῆες et τὰς ναῦς; εἰσίτω pro εἰσιέτω; κλαδεύειν pro κλᾶν; ἐδεδίεσαν pro ἐδέδισαν; οὐθεὶς pro οὐδείς; ἀφείλατο pro ἀφείλετο; ἐλουόμην pro ἐλούμην; χρύσεα, ἀργύρεα pro χρυσᾶ, ἀργυρᾶ; ὅτοις pro ὡσί et ne putes hanc solum indoctorum loquelam esse, addit grammaticos quosdam ὅτοις probare. Aequales dicebant ῥέειν pro ῥεῖν, διώρυγος pro διώρυχος, ἔφης pro ἔφησθα, πηχῶν pro πήχεων, ῥοΐδιον pro ῥοίδιον, ἐκαθέσθην pro ἐκαθεζόμην, υἱέα pro υἱόν. Nesciebant verbo τυγχάνειν adhaerere participium. Dicebant πάλι pro πάλιν, ἵν' ἄξωσιν pro ἵν' ἀγάγωσιν, συνήντετο pro συνήντησε, πανδοχεῖον pro πανδοκεῖον, ἵπτασθαι pro πέτεσθαι, νήσης pro νῆσις, Φάγομαι pro ἔδομαι, γαμῴη pro γαμοίη, διδῴη pro διδοίη, ἐὰν ἄξῃς pro ἐὰν ἀγάγῃς et ἄγαγον pro ἄγαγε quasi ἀγάγαι dicendum esset. Probabant δύνῃ pro δύνασαι, ἐδέετο pro ἐδεῖτο, ἐκλείψας pro ἐκλιπών, ἔμελλον γράψαι pro γράψειν, τέτευχα pro τετύχηκα, ῥᾴτερος pro ῥᾴων, ῥύμη et παρεμβολή pro ϛενωπός et ϛρατόπεδον, cet.

Resectis istiusmodi adnotatiunculis, quarum nullus usus est nisi ut cognoscamus unde tot vitia fluxerint in Atticorum scriptorum exemplaria, remanent quaedam recte observata, sed intermixta erroribus. Edicit Phrynichus pro imperio: *βεβίασαι ἡ κόρη λεκτέον, ἀλλ' οὐχ ὥς τινες τῶν ῥητόρων ἔφθαρται.* Quid attinet exemplis probare secus esse? Errorem de significatione verbi *γασρίζειν* olim ut opinor iam animadversum, nescio quis correxit in margine Codicis. *Θυμέλη* ei est *θυσίας* quoddam genus, sed hoc repetendum est e Pherecratis loco corrupto, cf. Phryn. Bekk. p. 42. 23. Negat Atticum esse *ἀκολουθεῖν μετὰ τινὸς* etiamsi Lysias dixerit, sed verum esse *ἀκολουθεῖν αὐτῷ*. Et sunt alia huiusmodi.

Locus est perquam memorabilis p. 116, quo discimus Polemoni Sophistae grammaticum Secundum ad manum fuisse, qui in eius scriptis sermonis vitia corrigeret. Arduum igitur negotium erat a pudendis erroribus cavere et si quis pure loqui videri vellet, libros antequam ederet grammatico tradebat *ἐπανορθώσοντι*· intelligis igitur quam recte dici possint posteriores Graeci alia quadam lingua locuti esse, nam scriptores reperiuntur fecisse prorsus idem quod nostri homines faciunt, qui Gallice vel Anglice fabulantur, ut ab exteris legantur. Alii grammaticorum scripta sedulo lectitabant et quotiescumque opus erat, consulebant tanquam oracula. Hoc fecisse comperimus Dionem Cassium qui locutiones eximie Atticas ex Atticista quodam excerpebat ut tanquam gemmulas operi adspergeret; alia autem occasione hunc quem consuleret Atticistam, ipsum nostrum fuisse Phrynichum, conabor evincere.

Sed quaeres fortasse cur in disputatione de Photio tam multa de Phrynicho? Scilicet memorabilis est locus de adjectivo *ὑπόξυλος* in Praep. Soph. p. 67. 7; qui locus plenius servatus est a Scholiasta Hermogenis quem supra exscripsi p. 26. Ex hoc loco patet Phrynichum in opere condendo usum fuisse Aelio Dionysio. Videamus an huius rei memoriam ex Ecloga suscitare possimus.

Docet Phrynichus Attice efferri feminino genere *ὄμφαξ, βῶλος, χάραξ, φάρυγξ, ἄσβολος, ψύλλα, κακκάβη, μείραξ*, masculino genere *λιμός*, neutro vero *τὸ νῶτον*. Phrynichus de his nominibus docet variis locis; ex Aelio Dionysio similia col-

legit in unum Eustath. p. 1390. 50. Phrynichus docet dicendum esse feminino genere ἡ ῥάξ; habet ex Aelio Dionysio, vide Eustath. p. 1485. 58. Hinc colligo Aelium Dionysium etiam docuisse πηλὸς et ῥύπος dicenda esse masculino genere et ὕσπληξ feminino, quod nunc Phrynichi solius auctoritate novimus. Docet Phrynichus quid sit ἐν χρῷ κουρίας; habet ex Aelio Dionysio, quem vide ap. Eustath. p. 1450. 32. Improbat ἠπητής, probat ἀκεσής· nempe fide Dionysii, vide Eust. p. 1647. 58. Improbat formas ἀγαθώτερος et ἀγαθώτατος· facile credimus, nam quis unquam probavit *bonior* et *bonissimus*, sed Aelius Dionysius hoc aequales iam docuerat, vide Eust. p. 1384. 50. Monet Phrynichus ne quis dicat εἶτεν, ἔπειτεν pro εἶτα, ἔπειτα· scilicet hoc acceptum refert Dionysio, quem exscribit Eustath. p. 1158. 39. Μάμμη significat *mater* non *avia*, auctore Phrynicho; ante eum idem iam pluribus docuerat Dionysius apud Eustath. p. 971. 20. Etymologiam nominis κρίβανος Phrynichus itidem e Dionysio habet, cf. Eustath. p. 1511. 12. Observatio Dionysii de nomine βασίλισσα ap. Eust. p. 1425. 40 corrigenda est e Phrynicho. Laudatur in Ecloga vocabulum δίκρουν, scilicet e Dionysio quem exscribit Eust. p. 947. 26. Scribendum esse σάκος non σάκκος Phrynichus tradunt et Dionysius apud Eust. p. 940. 18. Improbat Phrynichus μαμμόθρεπτος et commendat τηθαλλαδοῦς, secutus Dionysium, cf. Eust. p. 971. 20. Quod Eustath. p. 880. 30 secundum Dionysium tradit, minime Atticum esse vocabulum βουνός, id plenius servatum est a Phrynicho, apud quem vide locum Philemonis poetae et cf. Eust. p. 1853. 60. Contendit Phrynichus Attica esse πεντετηρίς, πεντετηρικός, πεντέμηνον, πεντέπηχυ, damnat πεντάμηνον et similia; fragmentum Dionysii de hoc argumento apud Eustath. p. 1417. 30 servavit Photius quoque.

Nunc videamus de aliis quibusdam in Ecloga, quae ad Dionysium referri debent, etiamsi nusquam nominatim laudetur. Quod verbi causa Phrynichus monet ne quis cum Homero ἐρεύγεσθαι dicat sed ἐρυγγάνειν, habet ut opinor e Dionysio, nam Photius idem tradit. Qua in re tenendum est quod mihi memoratu dignum videtur, quum toties Phrynichus cum Aelio Dionysio conspiret eumque adeo exscripsisse videatur, ne unum quidem locum e Pausania afferri, qui ad eum adhibendus sit,

adeo ut, si quando Photius et Phrynichus conveniant, quod saepe faciunt, necessario sequatur observationem esse Dionysii, quia compertum est e Phrynicho ipso in Photii lexicon prorsus nihil fluxisse. Vide igitur hos locos: Phrynichus probat κωλήν, improbat κωλύφιον. Photius adsentitur. Phrynichus commendat formas βραδύτερον et παρακαταθήκη exemplo Platonis et Thucydidis, quos Dionysius perpetuo conjungere solet. Quod Phrynichus habet de nomine ἀσφάραγος, compone cum Photii glossa ὅρμενον. Unoculos ἑτεροφθάλμους dici, Cyclopas μονοφθάλμους novimus e Photio, qui in lexicis rhetoricis plura invenit quam nunc apud eum supersunt, ut efficio e quinto lexico Bekk. p. 280. 22. Eandem observationem habet Phrynichus sed ab Epitomatore contractam. Quid intersit inter ῥάφανος et ῥαφανίς, vide apud utrumque. Quod Phrynichus habet de vocibus οἰκόσιτος et οἰκότριψ compone cum Photio et Eust. p. 1423. 2. Quod improbat formas δυσὶν et δυεῖν, doctiora excerpsit e lexico rhetorico Eust. p. 802. 26. Docet Phrynichus quid intersit inter παλαιστή et παλαισιής· adnotatio Dionysii, ut suspicor, suppleri debet e Photio, cf. Eust. p. 1291. 43. Contendit Phrynichus Atticos dixisse σλεγγὶς pro ξύστρα· vide locos poetarum apud Photium. Aequales Phrynichi dicebant ψίεθος, μιερός, ὕελος· conspirat Photius v. ὕαλος. Uterque docet dicendum esse κατὰ χειρὸς ὕδωρ. Dubitatum fuit utrum Atticum esset θέρμη an θέρμα· iterum Phrynichus utitur auctoritate Platonis et Thucydidis. Improbat θυρεόν dictum pro *scuto*. Excidisse suspicor eum non moveri auctoritate Philemonis, quem Photius testimonium iubet dicere. Improbat χήμη· cf. Phot. v. κόγχη. Denique adnotationem de verbo δρωπακίζειν compone cum Photio v. παρατίλτρια.

His igitur omnibus ad Dionysium relatis, ita tamen ut suspicionibus nostris aliae non videantur superstrui debere, exploremus excerpta e Praeparatione Sophistica. Primum animadvertendum est, haec excerpta supplenda esse e sexto lexico Bekkeri, in quo Phrynichi multa fragmenta satis integra servata sunt. Infra de hoc lexico accurate acturi sumus, sed nunc iam intelligi potest non probandam esse Dobraei suspicionem, qui in Praefatione ad Photium affirmat, totum illud opus relatum fuisse in Photii syllogen, cui tamen cum lexicon

componeret, Phrynichi lexicon non ad manus erat. Et liquido constat Dobraeum hoc scripsisse re non satis perpensa, nam p. 445. 27 laudatur Etymologicum, quod Photius per temporum rationes omnino laudare non potuit.

In eo lexico igitur laudantur aliquoties e Phrynicho quae totidem verbis leguntur in Praeparatione. Explicatur p. 367. 19 quid sit *ἀκροσφαλές*· convenit Phryn. p. 20. 4. Quid *ἄκομψον* sit docemur p. 368. 31 auctoritate eiusdem, cuius locus paulo plenior legitur p. 6. 19. Contra p. 369. 24 Phrynichus iubetur dicere quid sit *ἀκρατὴς γάμου*· idem locus legitur p. 28. 24. P. 401. 13 laudatur Eupolis secundum Phrynichum et discimus quid sit quod dixerit *ἄνεμος καὶ ὄλεθρος ἄνθρωπος*. Ex ista observatione pauca supersunt p. 13. 31. Alibi Phrynichus laudatur sed in excerptis ex Praeparatione loci non comparent. Pag. 328. 18 docta expromitur adnotatio de verbo *ἀγῆλαι*. P. 351. 4 grammaticus ex Aeschylo interpretatur *ἄθηρος ἡμέρα*, qnod conjungendum est cum adnotatione de vocabulo *ἀθήρ* p. 21. 15, unde relata est in sextum lexicon p. 353. 15 et 350. 32 sed hoc quidem loco vitiose. Eustathius autem p. 1206. 10 itidem *ἀθὴρ* interpretatur per *ἐπιδορατίς*, unde locum Dionysio reddiderim. Eodem autem pertinet alia observatio de voce *ἀθάρη*, cuius pauca verba supersunt p. 10. 12, plurima p. 351. 12, ita ut in illis ambagibus agnoscere possis Phrynichi loquacitatem de qua Photius in Bibliotheca queritur. Vide porro p. 362. 19, 369. 33 et 373. 8.

Complures loci sunt in illo utilissimo libro ubi Phrynichus non laudatur nomine, sed e collatione Excerptorum apparet observationes ex eo ductas esse. Saepe uterque liber mutuam operam praestat. Pag. 3. 24 *ἄνοργοι* laudatur, nempe e Cratino secundum p. 406. 11. P. 4. 20 *ἀνεβόησεν οὐράνιον ὅσον* est ex Aristophane secundum p. 400. 34, nempe Ran. 781. P. 4. 22 de voce *ἀωρία*, ubi absurde editur *οὐκ ἐπὶ νοητῶν μόνον* pro *νυκτῶν*, plura vide p. 476. 10. Vide quoque *ἀωροθάνατος* p. 24. 22. Ad vocem *ἀχώρ* p. 6. 25 confer Aristophanis locum p. 474. 31 et Photium v. *ἀδαξῆσαι*. P. 7. 12 Phrynichus docet Atticos non dixisse *ἀρχῆθεν*, ex eadem observatione alia servata sunt p. 450. 4. P. 8. 1 adnotatur vox *ἀρρωστία*· glossam Thucydideam esse et pertinere ad III. 15 apparet e p. 446. 13.

P. 9. 29 *ἄνθρωπος λυπησίλογος* e Cratino est, cf. p. 404. 11. Exponuntur formae aoristi *ἀπέδραν*, p. 11. 1; adde locos poetarum e p. 419. 31. *Ἀποβάθρα* p. 12. 31 e Sophocle est, vide p. 426. 18. P. 14. 24 *ἀλεαίνοιμι* respicitur Arist. Eccl. 540, cf. p. 381. 24. P. 17. 1 *ἀγροβόας ἀνήρ* e Cratino ductum est, secundum p. 359. 30. *Ἀκοσμεῖν* p. 18. 22 e Sophocle esse, apparet e p. 369. 5. De voce *ἀπαρκτίας* p. 19. 22 multo plura servata sunt p. 445. 14. Ad vocem *ἀνεκὰς* p. 19. 33 laudatur Eupolis p. 395. 24, sed vide Suidam. Vocem *ἄκυλος* interpretatur Phrynichus, additur locus Pherecratis p. 373. 25. P. 22. 11 *αἰρόπινον* compone cum p. 359. 24, ubi male *σκοτεινόν* pro *κόσκινον*: idem vitium in Hesychio. P. 22. 16 breviter explicatur *ἀείζων*· vide multo plura de hoc vocabulo p. 347. 16 et de *ἀείνως* p. 347. 7. P. 25. 14 *ἄδουλος βίος* cf. p. 344. 29, ubi laudatur Phrynichi poetae fragmentum. P. 26 11 *ἄδωρος χάρις* ex Euripide est, ut intelligemus coll. p. 346. 19. Explicat Phrynichus *αὐλεία θύρα* p. 26. 28 nempe ex Lysia et Aeschine, ut videmus p. 463. 16. Denique p. 27. 10 *ἀνταναγνῶναι* e Cratino est, vide p. 410. 31.

Sunt in istis excerptis quaedam observationes e quibus nil quidquam lucramur, nisi ut intelligamus quam vitiosa fuerit Graeculorum loquela tempore Antoninorum, sed numero multo pauciores quam in Ecloga. En quaedam exempla. P. 8. 12 commendantur formae *ἀπολλύασιν*, *δεικνύασιν*, *ὀμνύασιν* prae *ἀπολλύουσιν*, cf. p. 430. 28. P. 9. 25 *ἀπεπτόμην*. P. 18. 9 *ἀνακτᾷ* prae *ἀνακτᾶσαι*, opinor quia Favorinus vel alius rhetor errasset. Docet igitur Phrynichus probum esse *ἀνακτῶμαι ἀνακτᾷ ἀνακτᾶται* sicut *γελῶμαι γελᾷ*, *ἀναβοῶμαι ἀναβοᾷ*. P. 20. 1 notatur Attica forma *ἀληλιμμένον*, *κατορωρυγμένον*, de qua iam praeceperat in Ecloga, vide quoque p. 383. 6. Commendantur formae contractae *ἁπλᾶ διπλᾶ τριπλᾶ*, cf. p. 425. 22 et Ecl. p. 88. Explicatur *βαδιοῦμαι*· *ἀπελεύσομαι*, p. 30. 27. Imperativus est *ἐπιδείκνυ* non *ἐπιδείκνυε*, ut legimus p. 40. 9. *Ἔκδυθι* Attica forma est, p. 41. 8. Coniunctivo modo dicendum est *ἵν' ἀκροᾷ*, p. 43. 26: scilicet aequales malebant *ἀκροᾶσαι* dicere. P. 44. 20, praestat *τοὺς ἰχθῦς* dicere non *ἰχθύας*. P. 51. 29 *μεθισάναι* verum est, non *μεθισάνειν*. P. 53. 15: *οἴδατε*· *ἄμεινον τὸ ἴσε*. Imo *οἴδατε* pessimum est. P. 62. 29

monemur Atticos dixisse σημῆναι, θερμῆναι· idem iam didiceramus ex Ecloga sed hic uberius. Denique p. 68 12 υἱεός et υἱεῖ dicendum est non υἱέως et υἱέα.

Vix operae pretium est adnotare magnum locorum numerum quibus idem traditur in Ecloga et in Praeparatione. Hos igitur unusquisque sibi colligere poterit. Quia autem ex utroque opere non nisi exilia excerpta supersunt, res commodo explicari nequit nisi credamus Phrynichum saepius dixisse idem, quod quodammodo confirmatur Photii iudicio, ex universo opere multo maiorem partem sine damno abjici posse. Utilius erit indicare vestigia Aelianae doctrinae in Praeparatione, sicuti supra in Ecloga fecimus.

Adnotatio de voce ἄσβολος, quae plenior est in lex. rhet. p. 450. 32 Dionysio reddenda est, coll. Eustath. p. 1390. 50. P. 30. 22 legitur: βόλος· θηλυκῶς· imo scribe θόλος, coll. Dionysio ibid. Eodem pertinet p. 64. 9 ϛελεός et p. 69. 12 ὕσπληξ. Agit Phrynichus de aoristo ἐνεγκεῖν p. 35. 24 et p. 41. 28, fortasse ex Aelio Dionysio apud Eust. p. 1435. 62. Disputatur de ἰῶτα longo an per diphthongum scribi debeat, p. 46. 18; eandem quaestionem Dionysius attingit apud Eust. p. 1413. 32, cf. p. 130 Ecl. Καλήτης dicendum est, non κηλήτης p. 47. 20; idem Dionysius ap. Eust. p. 1481. 52: vide quae dicemus ad Phot. v. κεκάληκας. Explicatur κυνοφθαλμίζεται p. 48. 21, cf. Dion. ap. Eust. p. 756. 61. De voce ῥωποπώλης p. 61. 31, cf. Dion. ap. Eust. p. 927. 53. Vox ϛρεβλὸς p. 62. 23 multo uberius explicatur a Dion. apud Eust. p. 206. 26. P. 65. 30 τηθαλλαδοῦς quid esset, Aelius Dionysius iam dixerat ap. Eust. p. 971. 20. De voce ὑπέρινος p. 69. 15, cf. Dion. apud Eust. p. 877. 12. E Pausania Phrynichus nil exscripsisse videtur. Quod interpretatur p. 23. 30 ἀμφαξονεῖν et p. 58. 21 προόδων, supersunt quidem ap. Eust. p. 918. 62 et p. 854. 13 Pausaniae de his vocibus adnotationes, sed verbis discrepant.

Sed saepe Phrynichus et Photius conveniunt suntque ii loci omnes ni fallor ex Aelio Dionysio exscriptae. Dabo quaedam exempla. Adnotatio p. 22. 30 de voce ἀγωγεύς coll. p. 340. 26 servata est apud Photium, sed auctoritates resectae sunt. P. 24. 17 ἀσκαρίζειν cf. Phot. v. ἠσκάριζε, quod pertinet ad Cratini locum, quem servavit v. ῥάζειν. P. 25. 26 ἀπολοπίζειν cf. Phot.

v. λοπίζειν. P. 58. 17 ἐξορμενίζειν cf. Phot. v. ὅρμενα et Ecl. p. 42. E p. 42. 1 ἠπιάλης supple Photium coll. Eust. p. 561. 17. P. 42. 28 θαλαττοκοπεῖν, p. 43. 31 Ἰλιὰς κακῶν, p. 48 19 κίων, p. 49. 17 κυνοδέσμαι, p. 49. 19 κυνοκέφαλος, omnibus his locis cf. Phot. Corrupta est apud eundem glossa καλῶς sed quid Patriarcha voluerit, apparet e p. 49. 20: κάλλισα. Breviter apud Phryn. p. 51. 8: λάσανα· plura apud Photium et p. 140 Ecl. Glossam Photii πολιτοκοπεῖν supple e p. 57. 30. Porro p. 59. 6: παλεύτρια· p. 61. 17 πρῷον· p. 63. 27: ϛρόβιλοι· p. 65. 11: τάγηνον· p. 65. 25: τἄλλα καὶ Φιλώμεθα· apparet ubique utrumque sequi eundem. Differt aliquantum adnotatio p. 66. 6 de voce τυμβογέρων et tamen eandem manum mihi agnoscere videor. Praeterea p. 67. 11 ὑποζυγιώδης ἄνθρωπος· p. 68. 4 ὑψαυχεῖν· p. 68. 30 ὑποσακίζεται· p. 71. 3 φθόη· p. 73. 24 ψακάζειν· cet. Videbis Photium et Phrynichum uti verbis tantum non iisdem.

§ 11.

De Antiatticista et Moeride.

Tres Grammatici sunt, qui a Phrynicho pendent: Antiatticista, Moeris et Thomas Magister. Sed de Thoma quantum satis est, dixit Ritschelius in docta Praefatione; hoc unum nunc vide quod nullo negotio exemplis confirmabis, rectissime demonstrasse Ritschelium Thomam vel Theodulum Monachum, nam hoc quoque ei nomen est, usurpasse Phrynichum, Moeridem, Ammonium, Moschopulum, sed »loca probantia" addidisse de suo, ita ut, quod in Suida itidem usu venit, ad glossae originem investigandum, nihil prorsus faciant loci quos Thomas e Synesio, Luciano, Platone vel Aristophane adscripserit.

Post Phrynichi Praeparationem Sophisticam Bekkerus Antiatticistam edidit, de quo nunc videndum. Ac primum nescio unde huic lexico Antiatticistae nomen obtigerit; inscribitur in Codice unico Coisliniano ἄλλος ἀλφάβητος, sed nisi conjectura me fallit, Ruhnkenius nomen dedit, quo libelli indolem declararet. Et est sane libellus conscriptus contra Atticistarum quorundam praecepta. »Grammaticus ille", Ruhnkenius inquit Hist.

Crit. Or. Gr. p. 89, »non nisi vetustissimos et classicos quos vocamus scriptores laudat ut eorum auctoritate vindicet voces et loquendi formulas quas Atticistae temere damnassent.'' His verbis adscriptis Bastius ad Greg. Cor. p. 155 pergit et exemplis demonstrat quam hoc sit vere dictum; et nos quoque rem primum exemplis planam faciemus, tum de scriptoris nomine quaeremus.

P. 86. 32: *γῆν ἀξιοῦσιν ἀεὶ λέγειν ἑνικῶς, μηδέποτε δὲ πληθυντικῶς· Ἡρόδοτος πρώτῳ.* Grammaticus affert Herodotum ad probandum etiam vetustos scriptores aliquando usos fuisse illius nominis plurali forma, nam de recentioribus dubitatio nulla est, quos notabant et improbabant Atticistae. Contra Antiatticista affert ex Herodt. IV. 198: *ἀρίση γεῶν.* Quod primum librum laudat, hoc pertinet ad perpetuam confusionem notarum numeralium A et Δ.

P. 92. 26: *εὐειδής· οὕτω Φασὶν ἀδόκιμον εἶναι τὸ ὄνομα, ἀλλ' ὁ καλὸς Ξενοφῶν Ἀπομνημονευμάτων τρίτῳ, Ἡρόδοτος πρώτῳ δὶς καὶ τρίς, καὶ ἀπειράκις οἱ κωμικοί.* Nempe Xen. Mem. III. 11. 4. Herodt. I. 32. 60. Comicorum locos non novi.

P. 95. 18: *ἐθελορήτωρ· ἐκβάλλουσι τὰ σύνθετα. Θουκυδίδης ἐθελοφιλόσοφος· καὶ Θουκυδίδης δὲ ἐθελοπρόξενος.* Haec confusa sunt. Thuc. III. 70 habet *ἐθελοπρόξενος·* quis *ἐθελοφιλόσοφος* dixerit nescio.

P. 101. 29 *Κλεῖν ἀξιοῦσι λέγειν, οὐ κλεῖδα. Δίφιλος Εὐνούχῳ.* Diphilus igitur dixerat *κλεῖδα.*

P. 115. 22 *φιλεῖν φασὶ δεῖν λέγειν τὸ κατὰ ψυχήν, καταφιλεῖν δὲ καὶ κῦσαι τὸ διὰ τοῦ στόματος.* Vides servatam esse Atticistarum doctrinam; exciderunt quae grammaticus contra dixerat. Scilicet nihil superest praeter exilia excerpta et saepe non Antiatticistae doctrina evasit, sed eorum opiniones quos impugnabat. Hoc imprimis tenendum est, si quis libelli usum cognoscere velit.

P. 115. 30 *φειδωλίαν οὔ φασι δεῖν λέγειν. Πλάτων.* Nempe Plato *φειδωλία* dixit Rep. IX. 572. C.

P. 111. 18 *ποιεῖν ἀγῶνα τραγῳδῶν οὔ φασι δεῖν λέγειν ἀλλ' ἀγωνοθετεῖν.* Excidere quae grammaticus contra disputaverat.

P. 108. 19 *μυκτῆρα· οἱ μὲν ἀξιοῦσιν οὕτως ὅλην τὴν ῥῖνα λέγεσθαι, οἱ δὲ τὴν μὲν ῥῖνα, μυκτῆρας δὲ τὰ ἑκατέρωθεν τρήματα.*

P. 93. 5 *ἐναντίον τινὸς τόδε ἐπράχθη· οὔ Φασι δεῖν λέγειν ἀλλὰ παρόντος τινός. Δημοσθένης κατ' Ἀφόβου ἐπιτροπικῷ.* Nempe Orat. I. § 21.

P. 93. 20 *ἐξετασμός· ἀντὶ τοῦ ἐξέτασις. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ στεφάνου* (§ 16) *εἰπόντος, οὗ Φασι δόκιμον εἶναι οὕτω τιθέμενον.*

P. 94. 26 *ἕλκει σαθμόν· ἀντὶ τοῦ ἄγει· ἐκβάλλουσιν ὡς ἀδόκιμον. Ἡρόδοτος πρώτῳ.* Scilicet I. 50.

P. 88. 26 *δακτυλίδιον· οὐ δεῖν Φασὶν ὑποκορίζεσθαι, οὐδ' ἂν μικρὸν ᾖ.* Antiatticista fortasse laudavit Arist. Lysistr. 417.

Quaeritur iam quis opusculum scripserit et quem potissimum impugnaverit. Est ea de re conjectura Ruhnkenii imprimis acuta: asservantur Leidae in Bibliotheca commentarii Ruhnkenii permulti, inter quos grammaticorum opera quae Parisiis descripsit e vetustis Codicibus. Iam in exemplari Antiatticistae adscripsit scriptorem sibi Orum videri, quem Suidas in v. refert adversus Phrynichum scripsisse *κατὰ στοιχεῖον*. Fuit Orus Milesius qui Phrynicho paulo recentior fuit; docte de eo egit Ritschelius in libro de Oro et Orione et p. 58 incidit in eandem conjecturam atque Ruhnkenius, libelli nostrum auctorem esse illum ipsum Orum cuius memoriam tunc instaurare susceperat. Operae pretium me facturum existimo, si rem quam potero accuratissime examinavero.

Antiquitus disputatum est utrum Atheniensium uxores *Ἀθηναῖαι* dicendae essent an *Ἀττικαί*. Primus fuit Aristophanes Byzantius, ex quo in fragmento Parisino apud Nauck. p. 79 haec supersunt: *Ὅτι ἐστὶν Ἀθηναία γυνή, ὥσπερ καὶ Ἀθηναῖος.* Post Aristophanem idem argumentum attigit Didymus, ut ex Stephano Byz. novimus, qui eo loco quem infra tractabimus habet: *Δίδυμος δέ Φησιν ὅτι Ἀθηναίας λέγουσιν ἀντὶ τοῦ Ἀττικάς.* Ex hoc loco Didymi Hesychius a M. Schmidtio emendatus: *Ἀθηναία· ἡ θεός· ἡ δὲ γυνή (ἀστή). Μεγακλείδης.* Nihil ex his laciniis extundi posset, nisi ex Aelio Dionysio et Pausania plura servasset Eustathius p. 84. 18 indidem hausta: *Παυσανίας δὲ καὶ Αἴλιος Διονύσιος ἐν τοῖς οἰκείοις λεξικοῖς Φασὶν ὅτι Μεγακλείδης αἰτίαν Φησὶ τοῦ μὴ λέγεσθαι Ἀθηναίας τὰς Ἀττικὰς γυναῖκας, ἵνα μὴ τὴν ἄγαμον αἱ γαμούμεναι τῇ προσηγορίᾳ καταισχύνωσιν· ὅτε δὲ ἤρξαντο αἱ ἀσταὶ ἤτοι Ἀττικαὶ*

γυναῖκες Ἀθηναῖαι λέγεσθαι, τότε δὴ ἐπενοήθη καὶ τὸ τὴν θεὸν μηκέτι Ἀθηναίαν καλεῖσθαι ἀλλὰ κατὰ συναίρεσιν Ἀθηνᾶν· ἕτεροι δὲ τῶν παλαιῶν οὕτω συντόμως εἶπον· ἀνάττικον Ἀθηναίαν γυναῖκα εἰπεῖν· ἀσὰς δὲ τὰς ἀττικὰς γυναῖκας ἔλεγον, ὡς καὶ τοὺς ἄνδρας ἀσούς. Ultima ut mox videbis Eustathius ex Oro habet; Dionysii et Pausaniae excerpta pleniora a Photio accepit Suidas: Ἀθηναίας· ὁ Μεγακλείδης οὔ φησι καλεῖσθαι τὰς γυναῖκας Ἀθηναίας ἀλλ' Ἀττικὰς ἐν τοῖς περὶ Ὁμήρου· (cf. Schol. Hom. Od. ζ. 106)· ἅμα καὶ τὴν αἰτίαν ἀποδιδούς· μόνους γάρ, φησιν, τοὺς ἐκεῖθεν ἄνδρας μὲν Ἀθηναίους ὀνομάζουσι, γυναῖκας δὲ Ἀττικάς, ἵνα μὴ τὴν ἄγαμον αἱ γαμούμεναι τῇ προσηγορίᾳ καταισχύνωσιν· ἀλλ' ἰδοὺ Φερεκράτης ἐν Γραυσί φησιν·

Ἀθηναίαις αὐταῖς τε καὶ τοῖς συμμάχοις.

καὶ Κάνθαρος Τηρεῖ·

γυναῖκ' Ἀθηναίαν καλήν τε κἀγαθήν.

καὶ Φιλήμων Πτερυγίῳ·

τὰς Ἱπποκλέας τάσδε καὶ Λυσιστράτας
καὶ Ναυσινίκας τὰς Ἀθηναίας λέγω.

Haec Aelii Dionysii videntur; in iis quae sequuntur Photius Pausaniam sequitur, ut recte suspicari videtur Cobetus Mnem. X. 81: Οἱ δὲ μὴ δεῖν φάσκοντες Ἀθηναίας λέγεσθαι τὰς Ἀττικὰς καὶ τὴν ὁμωνυμίαν αἰτιῶνται ἣν ἐπιδέχονται πρὸς τὴν θεόν, Ἀθηναία γὰρ καὶ ἡ θεὸς καλεῖται, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ Ἀθηναίας αὐτάς φασι λέγεσθαι Ἀττικάς· πλὴν πολλή γε ἡ χρῆσις τῆς φωνῆς ἐπὶ τῶν γυναικῶν παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, ὡς οἵ τε προειρημένοι ποιηταὶ μαρτυροῦσι καὶ Δίφιλος ἐν Ἀμάσριδι· καὶ γὰρ καὶ τὴν Θεμιστοκλέους θυγατέρα Ἀθηναίαν ξένην φησί· καὶ Πίνδαρος ἐν Σκολιοῖς. Quidquid ad hunc locum utiliter moneri potest, vide apud Cobetum ll., qui praeterea affert in eandem sententiam Eustath. p. 1456. 42. Sed sequitur apud Suidam: ὁ μέντοι Φρύνιχος ἀνάττικόν φησιν εἶναι τὴν φωνὴν καὶ θαυμάζει πῶς ὁ Φερεκράτης ἀττικώτατος ὢν χρῆται τῇ λέξει. Nempe Phrynichus, ut facile conjicere poteris, legerat locum Aelii Dionysii, quem frequenter eum adhibere supra ostendi; hoc fortasse miraris quo pacto Suidas Phrynichum hoc *unico* loco laudare potuerit, quem neque ipse trivit neque Photii amanuensis. Bonum factum quod Ori disputatio exstat apud Stephanum Byz., decurtata quidem ab Hermolao, sed ita tamen ut intelligi possit: Orus igitur sic:

Ἡ δὲ θεὸς Ἀθηναία λέγεται μονογενῶς· λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ γυναικὸς ὡς ἄλλοι μὲν πολλοὶ, Φιλήμων δὲ οὕτως ἐν Πτερυγίῳ·

Νυνὶ δ' ὅταν λάβῃ τις εἰς τὴν οἰκίαν
Τὰς Ἱπποτίκας τάσδε καὶ Ναυσιστράτας
Καὶ Ναυσινίκας, τὰς Ἀθηναίας λέγω.

Δίδυμος δέ φησιν ὅτι Ἀθηναίας λέγουσιν ἀντὶ τοῦ Ἀττικάς. Ὁ δὲ Φρύνιχος ἀνάττικόν φησιν εἶναι τὴν φωνὴν καὶ θαυμάζει πῶς ὁ Φερεκράτης ἀττικώτατος ὢν χρῆται. Ἀσὰς δὲ τὰς γυναῖκας ἔλεγον οὐ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι λέγειν Ἀθηναίας, ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ τοὺς ἄνδρας ἀσοὺς ἐκάλουν κτἑ. Iam vide Antiatticistam p. 77. 3: Ἀσή· πᾶσα ἡ ἐξ ἡσινοσοῦν πόλεως, οὐ μόνον ἐξ Ἀθηνῶν· Ἀθηναίαν· οὐκ Ἀττικήν. Excerpendo excerpta grammaticastri fecerunt ut nihil horum intelligere possemus, nisi alibi pleniora legerentur. Sed requiritur ut Ruhnkenii et Ritschelii suspicionem quam narravi persequar et ostendam in Antiatticista Phrynichum saepissime peti, qua in re opus erit ut demonstratione utamur paulo quam vellem longiore, quum argumenta ponderari non possint, sed eius generis sint ut numerari debeant. Hoc praeterea monebo recte vidisse Blomfieldum in censura Photii Hermanni, Antiatticistae doctrinam derivari e Didymi copiis, sed quem librum Orus potissimum usurpaverit non definiam.

Primum componamus Antiatticistam et Phrynichi Eclogam. Phrynichus p. 48 improbat ἀκμὴν pro ἔτι positum, quod semel legerat apud Xenoph. Anab. IV. 3. 26. Orus p. 77. 27 affert ex Hyperide.

Phrynichus p. 58 improbat formam ἀλήθειν. Contra Orus p. 78. 32: ἀλήθειν· οὐκ ἀλεῖν, sed absurdum est credere eum hoc dedisse. Studuerat ostendere ἀλήθειν etiam apud probatos scriptores inveniri, non tantum ἀλεῖν. Epitomator pervertit omnia.

Phrynichus p. 112 coll. p. 96 multis ambagibus docet reginam Attice βασίλειαν vel βασιλίδα dici, non dici βασίλισσαν, cf. Ael. Dion. apud Eust. p. 1425. 40. Affert tamen ex Alcaeo Comico et Aristotele in Qu. Homericis. Iam Orus p. 84. 26: Βασίλισσα· Ἀλκαῖος Γανυμήδει, Ἀριστέλης Ὁμηρικοῖς ἀπορήμασιν. Docuit fortasse archontis uxorem βασίλισσαν dictam fuisse, quod Phrynichum latuisse video ex iis quae declamitat de Dem. loco c. Neaer. p. 1370. 16.

Phrynichus p. 30 improbat formam *βούδια*. Affert Orus p. 85. 29 ex Hermippo *Κέρκωπι*.

Phrynichus p. 156 minus probat formam *βόλβιτον*. Orus p. 86. 9 affert ex Hipponacte.

Distinguit Phrynichus p. 38 inter *γενέθλιον ἡμέραν* et *γενέσια*. Orus p. 86. 18, 20 contendit licere *γενέσια* dicere pro *γενέθλιος ἡμέρα* atque adeo pro *γενέθλια*, laud. Eur. Ion. 653 et Herodt. IV. 26, cf. lex. rhet. Bekk. p. 231. 17, 19. Videtur Orus errare.

Phrynichus p. 158 improbat *γογγυσμός*. Orus p. 87. 5 affert ex Anaxandride *Νηρεῖ*.

Phrynichus p. 34 commendat *γαργαλίζειν*, reiicit *γαγγαλίζειν*. Contrariam sententiam tuetur Orus p. 87. 28.

Distinguit Phrynichus p. 50 inter *ἔνδον* et *εἴσω*. Confundi docet Orus p. 91. 31. coll. Dem. de F. L. § 255.

Adnotavit Phrynichus p. 152 rarissimum verbum *ἐργοδοτεῖν*. Orus p. 94. 5 nominatim excitat Apollodorum.

Improbat Phrynichus p. 160 formam *ἐδέετο*· quid contra disputaverit Orus p. 94. 10 non amplius apparet.

De vocabulo *ἐντέχνως* dubitare videtur Phrynichus p. 152. Ex Oro nihil superest praeter p. 95. 13: *ἀποδοκιμάζουσι λέγειν*.

Improbat Phrynichus p. 64 coll. p. 190 vocabulum *ἐλλύχνιον*, apud Atticos opinor. Mireris igitur Orum p. 95. 22 laudare Herodt. II. 62, cuius loci ne Phrynichus quidem ipse immemor fuerat.

De vocabulo *εὐσχήμων* nunc quidem conveniunt Phryn. p. 146 et Orus p. 95. 30.

Alexandrinis *ἐξαλλάξαι* est *delectare* sec. Phrynichum p. 160. Usus tamen est Menander hac potestate. Convenit Orus p. 96. 1. Hoc opinor dixerat Phrynichum de Menandro inique iudicare solere.

Secundum Phrynichum p. 146 Antiphanes *ἐπίτοκος* dixerat, cum deberet *ἐπίτεξ*. Cf. Orum p. 96. 11.

Idem improbat p. 146 *ἐγκάθετος* quo usus fuerat Hyperides. Cf. Orum p. 96. 30.

Ἐξιδιάζεσθαι dixerat Favorinus; reprehendit Phrynichus p. 86. Orus e Diphilo affert p. 96. 31.

In Hyperide Phrynichus p. 148 improbat usum vocabuli *ἐμπυρισμός*. Cf. Orum p. 97. 12.

Phrynichus p. 148 praecipit ne quis utatur voce *ἡμίκακον*. Alexis tamen usus est *Αἰχμαλώτῳ*, secundum Orum p. 98. 13.

Θρίδαξ pro *θριδακίνη* Ionibus relinquendum est sec. Phryn. p. 52. Nunc cf. Orum p. 99. 18.

Phrynichus commendat *ἱκετεία*, reiecto *ἱκεσία*. Consentit Orus p. 100. 6 laudato Thuc. III. 67.

Κραυγασμός Phrynichus p. 148 reiicit, Orus tamen p. 101. 10 invenit apud Diphilum *Ἀποβάτῃ*.

Κόλλοψ Atticum est, non *κόλλαβος* auctoribus Phryn. p. 84 et Oro p. 102. 33.

Oves dicuntur *καρῆναι*, homines *κείρασθαι*, quae est Phrynichi observatio p. 140. Confer Orum p. 103. 20.

Alexis dixerat *καμμύειν* pro *καταμύειν*· graviter queritur Phrynichus p. 150 de vitio tam pudendo. Ori observatio p. 103. 27 periit.

Affert Phrynichus e Theophrasto p. 150 vocabulum *κεφαλοτομεῖν*, sed *ἀπόρριπτε τοὔνομα καὶ Θεόφραστον κεχρημένον αὐτῷ· λέγε δὲ καρατομεῖν*. Cf. Orum p. 104. 31.

Phrynichus p. 188 probat formam *κακκάβη* et ex Aristophane affert. Ex Ori adnotatione nihil superest praeter *Κακκάβη· Ἕρμιππος Δημόταις*, p. 104. 33.

Acerbe perstringitur Menander a Phrynicho p. 190 quod usus sit voce *καταφαγᾶς*. Orus p. 105. 20 eum fortasse defendit exemplo Aeschyli, cf Poll. VI. 40.

Mulier *Λάκαινα* dicitur, regio *Λακωνική*· haec doctrina Phrynichi p. 150. Orus p. 106. 22 hoc referens laudat Alexin *Ἑλένης ἁρπαγῇ*, sed excidit quod eius testimonio probare voluit.

Mulier sec. Phrynichum p. 60 dicitur *μέθυσος*, sed *μέθυσος ἀνὴρ οὐκ ἐρεῖς ἀλλὰ μεθυσικός*. Corruptum est quod apud Orum superest p. 107. 9.

Phrynichus p. 152 reiicit vocem *μιαρία*. Orus p. 108. 15 habere potuit quod contra diceret, nam exstat *μιαρία* apud Demosthenem, alios.

Improbarat Phrynichus p. 88 *νοσσὸς* pro *νεοσσός*. Orus tamen p. 109. 22 affert ex Aeschylo *Κήρυξιν*.

Οὐχ οἷον ὀργίζομαι Phrynichi aequales dicebant p. 162, cum deberent *οὐ δήπου ὀργίζομαι*. Hinc fluxit Ori adnotatio p. 110. 13, in qua quid ipse dixerit non apparet, sed constat pro *ὁρίζομαι* reponendum esse *ὀργίζομαι*.

Quid sit περίσασις disputat Phrynichus p. 164. Nunc cf. Orum p. 112. 17.

Non ῥύμη Atticum est, sed σενωπός. Conveniunt Phryn. p. 180 et Orus p. 113. 6.

Improbat Phrynichus p. 32 ῥαφίς prae Atticorum βελόνη. Orus p. 113. 14 ῥαπὶς hac potestate ex Epicharmo affert.

Στρηνιᾶν non satis placet Phrynicho p. 168; Orus p. 113. 25 e Diphilo affert.

Genuina forma est σρωματόδεσμος vel σρωματόδεσμον, Phryn. p. 178. Orus consentit et adducit auctoritatem Amipsiae p. 113. 26.

Favorinus dixerat σύμπτωμα, non effugit reprehensionem Phrynichi p. 104. Eodem ni fallor pertinet Ori adnotatio p. 113. 28.

Profitetur Phrynichus se nescire an probum vocabulum sit φυγαδεῦσαι· se certe apud Atticos nondum invenisse. Adnotavit Orus p. 115. 18 e Theopompi Epitome Herodoti.

Tot exempla iam sufficere videri possunt ad causam obtinendam, sed ne quid desit eodem modo pergemus inter se conferre Antiatticistam et Phrynichi Praeparationem Sophisticam. Cum Oro p. 77. 1 ἀπὸ σόματος cf. Phryn. p. 22. 24, sed quid Orus voluerit non apparet. Magis est manifesta res Phryn. p. 20. 6: ἀγοράζειν· καὶ τὸ ὠνεῖσθαι καὶ τὸ ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν et Orus p. 78. 8: ἀγοράσαι· ἀντὶ τοῦ ὠνήσασθαι, οὐκ ἐπὶ τοῦ ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν. Δημοσθένης κατ' Ἀρισογείτονος.

Phryn. p. 9. 22 unice probat formam ἀναπηρία et recte quidem, sed Orus p. 78. 11 nescio quo iudicii errore ei contradicit et scribi vult ἀναπειρία.

Nomen ἀντιβολία notarunt Phryn. p. 23. 28 et Orus p. 78. 16; ἀνισῶσαι Phryn. p. 19 28 et Orus p. 80 9; ἀκραιφνὲς ὕδωρ Phryn. p. 23. 4 et Orus p. 81. 24, qui Aristophanem affert Ἀμφιαράῳ, cf. Ecl. p. 14. Phrynichus p. 17. 13 unice probat formam ἀνυπόδητος, conf. Ecl. p. 196. Orus videtur sibi invenisse ἀνυπόδετος in Epicharmo. Ἁλμαία notant Phryn. p. 22. 28 et Orus p. 82. 23. Ἀρχῆθεν non est Atticum sec. Phryn. p. 7. 12, cf. Ecl. p. 34. Consentit Orus p. 83. 13. Phryn. p. 30. 18 dixit de adjectivo βλάξ, conf. Ecl. p. 118: compone Orum p. 84. 3. Notarat Phryn. p. 30. 24 verbum βατταρίζειν· Orus p. 85. 20 ex Hipponacte affert. De vocabulo βρῦ vide Phryn. p. 31. 9 et Orum p. 85. 28. Notat Phryn. p. 31. 14, 22

voces γυναικηρὸς et γυναικίζειν· Orus p. 87. 2 insuper laudat Dioclem Βάκχαις. Quid Phrynichus dixerit p. 33. 30 de voce γράσος, melius intelliges ex Oro p. 87. 20. Veteres dicebant διατοιχεῖν, recentiores ἀνατοιχεῖν, nam sic scribendum est apud Phryn. p. 34. 31 pro ἀντιτοιχεῖν, coll. Ecl. p. 62 et 194; addit Orus p. 89. 20 auctoritatem Eubuli. Notat Phrynichus p. 40. 16 vocabulum ἐπιχαιρέκακος· firmat Orus p. 91. 21 laudato versu Alexidis. Adnotatio Phrynichi p. 41. 18 de voce εὐτράπελος suppleri potest ex Oro p. 92. 6. Porro confer Phrynichum p. 39. 2 de voce εὐόμιλος cum Oro p. 96. 7 qui locus mutilus est.

Phrynichus p. 41. 28 probat ἤνεγκον et ἤνεγκα· contradicit Orus p. 98. 11, cui unice placet ἤνεγκον. Sed Phryn. p. 41. 31 et Orus p. 98. 31 consentiunt ἡμίσεας rectius habere quam ἡμίσεις. De vocabulo θῦσαι quod Phrynichus interpretatur p. 42. 14, dissentire videtur Orus p. 99. 16. Uterque adnotavit verbum θυροκοπεῖν, ille p. 42. 31, hic p. 99. 17 addito Diphili testimonio. Phrynichus p. 48. 7 unice Atticum putat κλεῖν, sed contradicit Orus qui κλεῖδα e Diphilo affert. De vocabulo κῆδος cf. Phryn. p. 47. 25 et Orus p. 103. 32. Phrynichus in Praep. Soph. p. 49. 14 probat utrumque κυνάριον et κυνίδιον, in Ecl. p. 76 praefert κυνίδιον. Orus κυνάριον affert ex Alcaeo Comico. Vocabulum λεπτολογία notat Phrynichus p. 49. 21; firmat Orus p. 106. 26 ex Hermippo. Λάσανα Phrynichus adnotat p. 51. 8; plura servata sunt apud Orum p. 106. 30. Phrynichus improbat ὀδμή apud Atticos, p. 56. 30 coll. Ecl. p. 30. Idem refert Orus p. 110. 23. Ὄσινον Atticum est sec. Phryn. p. 54. 30 et Orum p. 110. 27. Ὁρκωμόσια adnotatur a Phryn. p. 53. 28 et Oro p. 110. 28. De nomine σκώληξ cf. Phryn. p. 62. 20 et Orum p. 114. 9. Uterque habet ὑποκροῦσαι p. 68. 10 et p. 115. 12, sed Orus addit usurpasse Alexin. De voce φοιτητής egit Phryn. p. 71. 23 et commendavit συμφοιτητής in Ecl. p. 178. Improbare videtur Orus p. 116. 1. Denique de verbo ψυχαγωγεῖν compone Phryn. p. 73. 10 cum Oro p. 116. 16.

Absoluta quaestione de scriptore Antiatticistae, videamus de Moeride, de quo Piersonus dixit in Praefatione sed sunt tamen quaedam quae retractanda videntur. Scilicet Piersonus nescio quomodo nondum sibi persuaserat Moeridem usum fuisse Phry-

nichi operibus. Mihi tamen res manifesta videtur et congeram exempla ut lectoribus sententiam probem.

Inter omnes Codices qui Moeridis Atticistam servarunt, eminet Coislinianus, qui solus non habet interpolationes quibus ceteri inquinati sunt magis quam aucti. Si careremus isto praestantissimo Codice, res simplicissima videri posset, nam v. ἰσοτελὴς in ceteris omnibus Phrynichus nominatim laudatur. Sed resectis, ut aequum est, omnibus adnotationibus quas Piersonus asterisco notavit, exploremus cetera. Primum ut exemplorum numero causam obtineam, indicabo quae Moeris debeat Phrynichi operi de Atticis Nominibus. Ex Ecloga igitur p. 12 habet ἀπελεύσεται, p. 196 ἀνυπόδετος, p. 32 ἠπήτρια, p. 46 κολυμβάδες ἐλαῖαι, p. 8 ἄμυνα, p. 56 βράδιον, p. 62 διέφθορα, p. 10 ἐρρύπανα ἐκάθαρα, p. 50 εὐκαιρεῖν, p. 72 κλαδεῦσαι, p. 12 κατορώρυκται, p. 68 αἱ νῆες, p. 142 νῆσις, p. 138 παραθήκη, p. 102 παιδίσκη, p. 38 πάντοτε, p. 12 πιοῦμαι, p. 136 ὕελος aliaque eiusmodi.

Similis res est in Praeparatione. Confer Moer. v. ἀπολλύων cum Phryn. p. 8. 12; ἀνόργητοι et p. 3. 24; ἀκροᾶσαι et p. 43. 26; ἀέναον et p. 22. 16; ἀωρίᾳ et p. 4. 22; σκαρίζειν et p. 24. 17; ἀπέδρων et p. 11. 1; ἀποκαθαίρεσθαι et p. 7. 14; ἀπηγορευμέναι ἡμέραι et p. 5. 8; κολλυβισαί et δοκιμασαί et p. 18. 30; ἀγοράζειν et p. 20. 6; εὔπνους pro ἀνθοσμίας dictum et p. 22. 9; ἀφηλικέστερος et p. 3. 1; γνωσιμαχῆσαι et p. 33. 15; γάργαλος et p. 31. 25; δύσηρις et p. 37. 7; λυχνοῦχος et p. 50. 23; παροψίς et p. 60. 3; παρανοίξας et p. 60. 19; τριπλᾶ, τετραπλᾶ et p. 25. 11; φοιτητής et p. 71. 23; denique χολάδες et p. 72. 5, cf. Ecl. p. 136.

Iam quia vidimus Phrynichum usurpasse Aelium Dionysium, consentaneum est esse quaedam in Moeride, in quibus agnoscas Dionysium. Sunt huius rei exempla multo plura quam exspectari potuerat.

Commendat Moeris ἄθυρμα, ἄθρους, cf. Eustath. p. 1387. 5. Improbat ἀπεῖπα, cf. Eust. p. 1435. 62. Notat βασίλεια, cf. Eust. p. 1425. 40. Docet quid sint βαλβίδες, cf. Eust. p. 1404. 55. Quid sint γεννηταί, cf. Eust. p. 239. 32. Agit de accentu adjectivi γελοῖος, cf. Eust. p. 205. 45. Γέλγη et γελγοπώλης, cf. Eust. p. 927. 53. E disputatione Aelii Dionysii de declina-

tione vocis δένδρον apud Eust. p. 396. 22 vide fragmentum apud Moeridem. Moeris commendat ἥνυτα, cf. Eust. p. 1217. 1. De voce ἰδιόξενος vide Dionysii fragmentum p. 405. 36, quod saepe iam laudavimus. Quid sit ἰλλός, docuerunt et Moeris et Dionysius apud Eust. p. 206. 26. Κράσις, cf. Eust. p. 1220. 46. Κάχρυς, cf. Eust. p. 1835. 41. Ὀττεύεσθαι, cf. Eust. p. 964. 63. Σᾶ, cf. Eust. p. 959. 42, cet.

Sed ut palam fiat Moeridem Phrynichum usurpasse, addam exempla quaedam, ubi eius doctrina utriusque grammatici doctrina confirmatur. Notabile est fragmentem Aelii Dionysii apud Eust. p. 1390. 50, in quo agit de nominum genere. Inde Phrynichus praecipit p. 44 de voce ἄσβολος, p. 16 de voce βῶλος, p. 188 de voce κακκάβη, p. 90 de voce μειράκιον, p. 126 de voce νῶτον, p. 146 de voce ψύλλα, p. 20 de voce χάραξ. Ista omnia habet quoque Moeris. Excidere apud Phrynichum observationes de genere vocum κέδρον, σκότος, τάριχος, sed Dionysius et ex eo Moeris servarunt. Vide praeterea ap. Moer. v. λάγυνος, σύραξ, ὕσπληξ, φθείρ, χέρσον. De vocabulo μάμμη praecepit Dionysius p. 971. 20 Eustath.; ex eo Phryn. p. 52; inde sua habet Moeris. Idem de voce ὅα sequitur Dionysium apud Eustath. p. 1828. 48. De compositis nominibus quae a πέντε incipiunt, Dionysius egit p. 1417. 30, Phrynichus p. 180. Moeridis locum vide quam accurate conveniat. Σάκος scribendum est, non σάκκος, cf. Dion. p. 940. 18 Eust.; ex eo Photium et Phrynichum p. 106; hinc Moeridem. Ψαθάλλειν Dionysius habet apud Eustath. p. 1914. 26, Phryn. Bekk. p. 9. 8, hinc habet quoque Moeris.

Haec si probabuntur, facile iam quivis intelliget, quomodo factum sit, ut Photius et Moeris toties conveniaut. Itaque compone Moer. v. βαδίζειν c. Phot. v. θεριῶ. Vide porro apud utrumque vocabula ἑταιρίσριαι, ἑτερόφθαλμος coll. c. Phryn. Ecl. p. 54, ζηλῶ, ἡμῳδία, θαμά, θηλάσρια, ἱερεῖον, ἴσθμιον, ἵτρια, κάλλαια, κάταγμα, καταγλωττίσματα, κάκη, κατὰ χειρὸς coll. c. Phryn. Ecl. p. 144, λέμμα, λαγῷα, λυσιτέλεια, λάσανον coll. c. Phryn. Bekk. 51. 8, ξυρόν, ὀξίδας, ὀρροπύγιον, ὀξυθύμια, ὀσημέραι, ὀβελίας ἄρτος, οἰσυπηρόν coll. c. Phryn. Bekk. p. 56. 7, ὅρμος, περίσῳον, παραιρήματα, πωλητήριον, πόρκους, πασπάλη, ῥικνοῦσθαι, σέες, σκαίρειν, σκιμαλίσαι, τάγηνον, τίφυς, φιδάκνη, ᾠδηκώς.

§ 12.

De Harpocratione.

Relata est in Photii lexicon Harpocrationis quae dicitur epitome, qua quum prorsus nihil contineatur ad textum melius constituendum, ne quis in posterum Photium pro Harpocratione laudet, in editione quam paravi repetere nolui. Paucis hac de re videbimus, duce Dindorfio in Praefatione ad Harp.

Plerique Codices Harpocrationis eum textum repraesentant, qui vulgo editur sed in duobus tribusve libris omnia ad breviorem formam redacta sunt, resectis ut plurimum quas lexicographus adscripserat, auctoritatibus. Cum habeamus recensionem pleniorem, epitome nullius prorsus pretii esset, nisi paulo emendatius scripta esset et quaedam contineret quae apud ipsum Harpocrationem desunt, opinor quia liber quo Epitomator usus est, haud parum integrior erat quam Codices qui nunc supersunt. Hinc Dindorfius optime rem suam administravit, quum primus integram in Epitome lectionis varietatem Harpocrationis textui subjiceret, nam Bekkerus inspexerat quidem sed non constanter. In Photio autem prorsus nihil est praesidii ad Harpocrationis textum emendandum, neque in sexto lexico Bekk., quo itidem Epitome continetur; sed librarius adeo fuit negligens ut a voce Ἀλωπεκόννησος usque ad ἀνδροληψία omiserit addere quae in Codice haberet. Contra in Photio tot sunt vitia ut ad emendanda perpetuo conferri debeat Harpocratio et mireris Porsonum qui in transscribendo Harpocrationem non adhiberet et sanando vitia interdum insanabilia reddiderit, vide eum v. ἐρχιάδαι et παιδάρητος. Collato Harpocratione omnia quivis corriget ut κλίσις pro κλῆσις, στρομφίδες pro στροφάδες, Φαῦλος pro Φάϋλλος, cet. Sed quod supra significavi, omnes glossas istas eliminavi, nam prorsus nullius usus sunt, quod non vereor fidenter affirmare postquam singulas glossas ad Harpocrationis textum quam accuratissime exegi, cf. porro quae dicemus ad v. σιτοφύλακες et τεταρτημόριον.

Sed oritur iam alia quaestio. Eliminatis iis quae ex Epitome illata erant, remanent in Photio lemmata si bene numeravi 158,

quae itidem in Harpocratione exstant, cum interpretatione modo breviore modo doctiore, sed ita ut quivis agnoscat fontem eundem. Simile quid observabis in quinto lexico Bekk. Iam quia satis constat de fontibus Photii isque ipse in Bibliotheca tradidit Aelium Dionysium in lexico egisse περὶ δικῶν, sequitur opinor summa evidentia neque Harpocrationem neque Aelium Dionysium haec de suo habere, sed utrumque sequi eundem, qui fortasse Caecilius Calactinus fuit. Sunt autem inter illas glossas 158 quas dixi, complures glossae duplices, quae et inter se et cum Harpocratione mirum in modum conveniunt; unde non vanam conjecturam me sequi suspicor, si glossas partim ex Aelio Dionysio partim e Pausania ductas esse statuero.

De ipso Harpocratione quis fuerit et quando vixerit non constat; certe Maussacus nihil attulit quod certum sit. Si genus scribendi spectas et adscriptas auctoritates, referes ad tempora Antoninorum; et habet sane ea opinio quo se commendet, nam Verus Imperator usus est praeceptore Valerio Harpocratione, et si Aelium Harpocrationem quem Suidas laudat, mavis lexici scriptorem habere, ex ipso praenomine colligitur eum vixisse eodem tempore, quo scilicet Aelius Diogenianus et Aelius Dionysius et Aelius Herodianus florerent. Scio quidem esse qui putent Harpocrationem usurpasse Athenaeum, quod si probabitur, necessario sequetur eum aliquanto post vixisse, sed malo statuere utrumque adiisse fontes eosdem. Certe Athenaeum non nominatim laudat, nam in glossam Ναΐς huius nomen a principe Editore sine Codicibus illatum est. Ut ut est hoc constare opinor, nos praeter Epitomen habere *tria* excerpta Harpocrationis, Aelii Dionysii et Pausaniae, sed *unum* testem, nam omnes sequuntur eundem. Sed intelligo a me requiri exempla quaedam, nam adscribere omnes illas glossas 158 infinitum est.

Earum igitur glossarum maior pars ita comparata est ut Photius Harpocrationem in minutis quibusdam supplere possit et Harpocration Photium. Sunt quoque loci quibus alter multa excerpsit, alter perpauca. Primum ostendam Photium esse aliquando Harpocratione pleniorem. Non novi locum luculentiorem quam Harp. glossam ὁμοῦ· Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονός φησιν· εἰσὶν ὁμοῦ δισμύριοι πάντες Ἀθηναῖοι· ἀντὶ τοῦ ἐγγύς· ἔστι δὲ πολὺ παρ'

Ἀττικοῖς· καὶ Μένανδρός που· ἤδη γάρ ἐσι τοῦ τίκτειν ὁμοῦ. Vide nunc Photium: ὁμοῦ· Δημοσθένης τῷ ὁμοῦ κέχρηται ἐν τῷ κατ' Ἀρισογείτονος ἐπὶ τοῦ ἐγγύς· φησὶ γὰρ οὕτως· εἰσὶν ὁμοῦ δισμύριοι πάντες Ἀθηναῖοι· ἔνθαδε γὰρ βούλεται δηλοῦν ὅτι ἐγγὺς τῶν δισμυρίων εἰσίν· ἐπεὶ ὅτι γε οὐκ ἦσαν δισμύριοι φανερόν. Ἰσαῖος δὲ τὸ ὁμοῦ ἐπὶ χρόνου ἔταξεν ἐν τῷ πρὸς Δωρόθεον, Λυσίας δὲ καὶ Ὅμηρος ἐπὶ τόπου· γυναικῶν δὲ πολλῶν καὶ ἀνδρῶν ὁμοῦ κατακειμένων· δοκεῖ δὲ καὶ Ὅμηρος ὁμοίως τῷ Λυσίᾳ κεχρῆσθαι ἐν τοῖς Πατρόκλου λόγοις πρὸς Ἀχιλλέα·

Μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀσέ' Ἀχιλλεῦ,
ἀλλ' ὁμοῦ ὡς ἐτράφημεν ἐν ἡμετέροισι δόμοισιν.

Hoc quoque notabile est Suidam nunc, quod rarissime factum esse observabis ut infra ostendam, Photio esse pleniorem. Hic enim caetera eodem modo sed — ἐν τῷ πρὸς Δωρόθεον· ἐς τοσοῦτον πονηρίας ὁμοῦ καὶ τόλμης ἐλήλυθε· καὶ ἐν τῷ πρὸς Καλλικράτην· οὐ μὴν ἀλλὰ τούτου πάντα ὁμοῦ ταῦτα ἐπιτάξαντος. Λυσίας δ' ἐπὶ τόπου τοῦτο ἔταξεν ἐν τῇ πρὸς Μετάνειραν ἐπισολῇ· γυναικῶν δὲ πολλῶν — Quod ad Menandri locum attinet, vide Schol. Apoll. Rhod. II. 121. Alia e veterum commentariis Boethus servavit, quem vide ap. Schol. Phaed. 72 C.

Harpocr. v. Περιθοῖδαι haec: Δημοσθενης ἐν τῷ πρὸς Πολυκλέα· δῆμός ἐσι τῆς Οἰνηΐδος. At Photius: δῆμος τῆς Οἰνηΐδος Φυλῆς· ἀπὸ Πειρίθου τοῦ Ἰξίονος· νόμος δ' ἦν Ἀθήνησι ξένους εἰσδέχεσθαι τοὺς βουλομένους τῶν Ἑλλήνων, Θεσσαλοὺς δ' ἐξαιρέτως ὑπεδέχοντο διὰ τὴν Πειρίθου καὶ Θησέως φιλοξενίαν· τούτοις δὲ καὶ χώραν ἐμέρισαν, ἣν ἐκάλεσαν Περιθοίδας. Ἔφορος ἱσορεῖ ἐν γ'. Alia exempla vide in vv. ἡγεμονία δικασηρίου, θαργήλια, ἱερομνήμονες, μένδη, πάνδια, προβουλεύματα, ῥοδωνιά, σεμναὶ θεαί, σηκός, σκιραφεῖα, ϛαφυλοβολεῖον, ϛρωτήρ.

Sequitur ut indicem quasdam triplices glossas apud Photium, ductas nempe ex Epitome Harpocrationis, Aelio Dionysio et Pausania. Notissima est Harpocrationis glossa, ex cuius epitome haec leguntur apud Nostrum: κλιμάζει· Δείναρχος· ὅταν οὖν κλιμάζῃ καὶ παράγῃ τοὺς νόμους· ἀντὶ τοῦ παρακλίνῃ καὶ τρέπῃ· μήποτε δὲ δεῖ γράφειν βλιμάζειν ἀντὶ τοῦ θλίβειν καὶ βιάζεται. Vix est operae pretium talia corrigere, cum emendata lectio ex Harpocratione peti possit, cuius turpissimum errorem olim iam exagitavit Cobetus. Sed vide nunc quae glossae apud Pho-

tium praecedant: κλιμακίζειν· σκελίζειν καὶ διασρέφειν· ἐσὶν γάρ τι καὶ βασανισικὸν ὄργανον κλῖμαξ καλούμενον, ὃ τὰ σώματα τῶν βασανιζομένων διασρέφει. Tum sequitur κλιμακίζειν· μέμνηται Δείναρχος ἐν τῇ ὑπὲρ Αἰσχίνου συνηγορίᾳ λέγων· οὗτος κλιμακίζει τοὺς νόμους· ἔσι δὲ οἷον παράγει καὶ διασρέφει· ἴσως ἀπὸ τῆς κλίμακος εἰρημένου τοῦ ὀνόματος, ἥτις οὖσα ὄργανον βασανισικὸν διασρέφει τὰ σώματα τῶν βασανιζομένων. En aliud exemplum. Glossa: μαλκίομεν· Δημοσθένης β' Φιλιππικῶν Φησιν ex Harpocratione media interposita est inter duas alias: μαλκίειν· ὑπὸ κρύους κατεσκληκέναι καὶ δυσκίνητον εἶναι et μαλκίειν· τὸ νενάρκηκέναι τὰς χεῖρας ὑπὸ κρύους. Tertius quem exscribam locum est ille quidem paulo longior, sed tam accommodatus ut nefas sit omittere. Haec Harpocration de voce ὀξυθύμια· Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου Φησί· περὶ οὗ πολλῷ ἂν δικαιότερον ἐν τοῖς ὀξυθυμίοις ἡ σήλη σαθεὶη ἢ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἱεροῖς· ἔνιοι μὲν ὧν ἐσὶ καὶ Ἀρίσαρχος, ὀξυθύμια λέγεσθαί Φασι τὰ ξύλα ἀφ' ὧν ἀπάγχονταί τινες, ἀπὸ τοῦ ὀξέως τῷ θυμῷ χρῆσθαι· ταῦτα δ' ἐκκόπτοντες ἐξορίζουσι καὶ καίουσι. Δίδυμος δὲ Αὐτοκλείδου λέξιν παραγράψας ἐκ τῶν ἐξηγητικῶν Φησίν· ὀξυθύμια τὰ καθάρματα λέγεται καὶ λύματα· ταῦτα γὰρ ἀποφέρεσθαι εἰς τὰς τριόδους ὅταν τὰς οἰκίας καθαίρωσιν. ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι τῷ κατὰ Δημάδου τὰ ἐν ταῖς τριόδοις Φησὶν Ἑκαταῖα, ὅπου τὰ καθάρσια ἔφερόν τινες, ἃ ὀξυθύμια καλεῖται. Εὔπολις Δήμοις·

ὃν χρῆν ἔν τε ταῖς τριόδοις κἀν τοῖς ὀξυθυμίοις
προσρόπαιον τῆς πόλεως κάεσθαι τετριγότα.

Quae ex his Epitomator reliquit, supersunt quoque apud Photium. Tum sequitur: ὀξυθύμια· ὅσα καθαίροντες τὰς οἰκίας Ἀθηναῖοι νύκτωρ ἔθος ἔχουσιν ἐν ταῖς τριόδοις τεθῆναι, ταῦτα ὀξυθύμια καλεῖται, quae explicatio ut vides e Didymo fluxit. Deinde habes tertiam glossam: ὀξυθύμια· τὰ ἀποκαθάρματα τῶν μυσαρῶν· οἱ δὲ τὰ ἀγχονιμαῖα ξύλα· οἱ δὲ τοὺς τόπους ἐν οἷς τὰ τοιαῦτα κατεκαίετο, Εὔπολις Δήμοις. Vides ni fallor grammaticum eundem atque Harpocrationem. Neque illae glossae triplices admodum rarae sunt apud Photium, observavi: ἐφέται, ἐχῖνος, ἑωλοκρασία, θεωρικά, ἵππαρχος, κατάχυσμα, λέσχαι, λεωκόριον, ματρυλεῖον, μειαγωγῆσαι, ναυτοδίκαι, ὁρκάνη, ὅρος, οὐσίας δίκη, πανδαισία, παραγραφή, παράσημος, προηροσία, προκώνια, πρόσκλησις, ῥόθιον, ὑπερήμερος, ὑπωμοσία.

Haec satis esse videntur ad intelligendum harum glossarum scriptores esse Dionysium et Pausaniam. Eustathius collatus confirmabit, sed hic alia plerumque curare solet et pauca tantum affert e lexicis suis rhetoricis, quae cum Harpocratione conferri possunt. Interpretatur Harpocration nomen κελέοντες, interpretantur quoque Dionysius et Pausanias ap. Eust. p. 884. 7. Ex Aelio Dionysio habet Photius. Harpocrationis glossa est λέμβος· Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Ζηνόθεμιν. εἶδος νεὼς ὁ λέμβος· πολλάκις δ' εἴρηται ἐν τῇ κωμῳδίᾳ. Hinc Photius ex Epitome λέμβος· εἶδος νεώς. Sequitur apud eum λέμβος· ἐφόλκιον· καὶ λέμβαρχοι οἱ τοῖς ἐφολκίοις πλέοντες, quae glossa e Pausania est, ut colligo ex Eustath. p. 1761. 15. Itaque e Dionysio est prima Photii glossa λέμβος· μικρὸν πλοῖον. Harpocrationis glossam Πενέσαι compone cum duplici glossa Photii et excerptis e lex. rhet. apud Eustath. p. 295. 29. Compone Harp. glossam Πυανόψια c. Photii glossis Πυανόψια et Πυανεψιών. Videbis priorem glossam e Pausania ductam esse, cuius locum integrum servavit Eustath. p. 1283. 6, ne putes solum Dionysium περὶ ἑορτῶν scripsisse.

Interdum apud Photium etiam quadruplices glossas invenies, opinor quia exscripsit Dionysii vel Pausaniae quam in superioribus memoravi epitomen. Dabo exempla et simul addam fragmenta ex alio quodam Rhetorico lexico. Scilicet fuit Taylorus olim in ea opinione, exstare specimina Harpocrationis nondum contracti in Codice quodam Cantabrigiensi. Hic in margine habet observationes quasdam, quas Taylorus vocat Accessiones ineditas ad Harpocrationem, sed hodie plerique viri docti vocant lexicon rhetoricum post Photium, non quasi quidquam habeat cum Photio commune, sed quia primus Dobraeus post Photium edidit. Haec fragmenta cum Harpocratione contuli; mendosissime scripta sunt, ita tamen ut vera lectio plerumque pelluceat, sed adsentior viris doctis qui statuerunt nullum se invenisse indicium quo confici possit eiusdem ea esse atque λέξεις τῶν δέκα ῥητόρων. Verum pignore contenderim et Harpocrationem et Dionysium et Pausaniam et illorum fragmentorum scriptorem omnes sequi eundem. Quin et longius progressus non dubitaverim affirmare eum grammaticum, communem omnium fontem, a Didymo pendere eoque fuisse saeculo fere iuniorem,

quod efficio ex indice scriptorum, quos Harpocration usurpasse se simulat, quorum vix ulli esse videntur — verba sunt Dindorfii — qui tempore inferiores fuerint Dionysio Halicarnassensi, Iuba et Apollonide Nicaeensi, quos sub Augusto quique Augusto anno aerae Christianae quarto decimo in imperio successit, Tiberio vixisse constat. Illo autem tempore nemo eorum qui Oratores et ius Atticum attigerunt, maiore fama inclaruit quam Caecilius Calactinus, qui praeterea laudatur in lex rhet. p. Photium. Sed de hac suspicione viri docti iudicabunt.

Harpocrationis glossa est: *Ἴσαι ψῆφοι· Αἰσχίνης κατὰ Κτησιφῶντος· ἕτερος δὲ πλεύσας ἰδιώτης εἰς Ῥόδον, ὅτι τὸν φόβον ἀνάνδρως ἤνεγκε, πρώην μέν ποτε εἰσηγγέλθη καὶ ἴσαι αἱ ψῆφοι αὐτῷ ἐγένοντο, εἰ δὲ μία ψῆφος ὑπερέπεσεν* (pro *μετέπεσεν*) *ὑπερώριστο ἂν καὶ ἀπέθανεν.* Nunc vide has tres glossas apud Photium, quarum prima non dubia emendatione supplevi: *Ἴσαι ψῆφοι· λέγουσιν ἀντὶ τοῦ παρ' ὀλίγον· ἔστι δὲ σχῆμα λόγου. Ἴσαι ψῆφοι· κατὰ τὸν νόμον τὸν τοῦ ἀπολύεσθαι τὸν κατηγορούμενον, ἐὰν ἴσων τύχῃ ψήφων. Ἴσαι ψῆφοι· ἐπὶ τῶν παρ' ὀλίγον ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἁλισκομένων· ἀπολύονται γὰρ ἐπὶ τῶν δικαζομένων κἂν ἴσαι γένωνται ψῆφοι, ἐν αἷς ἀπολύεται ὁ ἐγκαλούμενος.* Doctiora excerpta in lex. rhet.: *Ἴσαι αἱ ψῆφοι αὐτῶν· ἐγένοντο δὲ ἴσαι ψῆφοι, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ· καὶ ἦσαν τοῦ μὲν διώκοντος αἱ τετρυπημέναι, τοῦ δὲ φεύγοντος αἱ πλήρεις· ὁποτέρῳ δ' ἂν πλείους γένωνται οὗτος ἐνίκα· ὅτε δὲ ἴσαι, ὁ φεύγων ἀπέφευγεν, ὡς καὶ Θεόδεκτος ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ.* Dicis fortasse locos non satis inter se convenire. Itaque cf. *κυρία ἐκκλησία* apud Harp., apud Phot. et in lex. rhet. quod multo plura servarat, sed nolo adscribere mutila verba quae Dobraeus sola in evanida scriptura expedire potuit. Et habeo aliud exemplum. Harp. v. *ναύκληροι· Ὑπερείδης ἐν τῷ περὶ τοῦ ταρίχους οὐ μόνον ὡς ἡ συνήθεια χρῆται τῷ ὀνόματι, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ μεμισθωμένου ἐπὶ τῷ τὰ ἐνοίκια ἐκλέγειν ἢ οἰκίας ἢ συνοικίας, ὡς ὁ αὐτὸς ῥήτωρ δηλοῖ ἐν τῷ πρὸς Ἀρισογείτονα καὶ Σαννυρίων Γέλωτι καὶ Δίφιλος Ἐμπόρῳ.* Praeter epitomen Harp. breviter Photius: *ναύκληρος· ὁ τῆς νεὼς κύριος καὶ ὁ ἐπιπλέων αὐτῇ, ἐπὶ τῷ τὰ ναῦλα λαμβάνειν.* Lexicon rhetoricum autem manifesto cum Harpocratione conspirat: *ναύκληρον· Ὑπερείδης. οὐ μόνον ἡ συνήθεια κέχρηται τῷ ὀνόματι, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ μεμισθωμένου*

(ἐπὶ τῷ) τὰ ἐνοίκια ἐκλέγειν ἢ οἰκίας ἢ συνοικίας. Utile quoque est conferre Harpocrationem v. πάραλος cum triplici glossa apud Photium, quarum duae pleniores tertia ex epitome Dionysii ut opinor, et lex. rhet. Dobr., sed loci longiores sunt quam ut hic omnes describantur. Videbis tamen iis rationem meam egregie confirmari. Sed hoc mirum est continuo in Codice sequi glossam παράσασις, quam mirabundus vidi etiam in vitiis consentire cum Epitome Harpocr. apud Photium. Difficillimum erit huius rei probabilem causam afferre. Corruptelarum convenientiam observabis in lex. rhet. v. Σφήττιοι comp. c. Phot. in v. et Harp. v. Ποταμός, qua re si nihil aliud probatur, hoc summo iure colliges quod ad praesentem causam sufficit, omnes doctrinam ab eodem derivasse. Unam observationem addam, nempe in lex. rhet. doctam esse animadversionem de vocabulis quibusdam Persicis: ὀροσάγγης, παρασάγγης, ἄγγαρος aliis: meministi fortasse loci apud Eust. p. 1853. 60 ubi secundum Dionysium multa peregrina vocabula recenset. Apparet igitur haec quoque ut alia multa grammaticum aliis debere.

Haec si viris doctis probabuntur, tum demum glossae lexicographorum, quae sunt de iure Attico, quarum auctoritas hucusque perexigua fuit, utilitas prope nulla, in antiquitatis disciplina prodesse poterunt et vere proderunt, si omnium testimoniis inter se collatis et arte quadam compositis, intellectum erit non tantum quis dixerit et quando dixerit, sed etiam quid quisque dixerit. Excerpta ex Aristotele et Theophrasto saepe eodem loco habentur atque recentium grammaticorum commenta; illorum auctoritas nulla, horum non contemnenda interdum habetur. Sed hic locus latius patet quam ut nunc persequar. Hoc ut opinor apparet quam perversa ratio sit, quam viri quidam docti in hac literarum parte non raro secuti sint. Unum omnium optime hoc perspexisse suspicor Meierum, sed quod supra iam significavi, frustra operam dedi ut eius commentationes cognoscerem et in Germania ipsa videntur raro inveniri libelli, quos vir egregie doctus veluti Sibyllae cuiusdam folia ita edidit ut pro ineditis fere habendi sint.

§ 13.

De Timaeo.

Refert Photius in Bibliotheca se legisse Timaei Sophistae Lexicon Platonicum. Ἀνεγνώσθη, inquit, Τιμαίου πρὸς Γεντιανὸν περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων κατὰ στοιχεῖον βραχὺ πονημάτιον ἐν ἑνὶ λόγῳ. Hunc parvum libellum, quod nemo nescit, primus edidit et doctis observationibus instruxit Ruhnkenius, quarum causa etiam hodie Timaeus legitur, nam ipse nimis exilis est et prorsus caret propriis dotibus. Quodsi deleas glossas postea interpolatas quae nihil ad Platonem pertinent, quod remanet adeo est leve et puerile, ut vix credam Timaeum quisquis fuerit nihil aliud in Platone invenisse, de quo sodalem Gentianum moneret. Imprimis miror hanc tenuitatem, cum cogito hunc ipsum Timaeum Ruhnkenio scriptorem videri librorum duodeseptuaginta, quos inscripsit συλλογὴν ῥητορικῶν ἀφορμῶν. Hinc suspicio oritur Timaeum idem esse passum, quod veteres lexicographi omnes, eum mutilum et lacerum ad nostra tempora pervenisse. Adest huius rei leve vestigium. Photius recepit Timaei glossas tantum non omnes, plerumque verbis iisdem, imo iisdem interdum vitiis, quibus ad nos pervenerunt in unico Codice, sed pauci quidam loci faciunt, ut credam eum usurpasse Timaei Codicem non multo quidem, sed paulo tamen pleniorem. Sed ordine de hac quaestione videamus.

Primum demonstrandum est Photium descripsisse Timaeum, et haec quidem res paucis potest transigi, nam manifesta est. Inspice v. c. illas glossas Photii: νώ· ἡμεῖς: — νωειν· οἱ τοῖς ξένοις ἡγούμενοι ὁδοί. Merae tenebrae, donec in tempore memineris haec ab homine non acutissimo transscripta esse e Timaeo: νώ· ἡμεῖς. — νῶν· ἡμῖν. — ξεναγοί· οἱ τοῖς ξένοις ἡγούμενοι ὁδόν. Codex quo Photius utebatur, vitiis scatebat; hinc apud eum corruptelae θραύματα pro θαύματα, θύματα pro θυήματα, κύρρη pro κύρβις, ποίθιοι pro πύθιοι, σφιγανόν pro σφεδανόν, aliae. Multae quoque corruptelae longe antiquiores sunt, nam eaedem sunt in Timaeo ipso. Noli dubitare, ubi opus sit eadem opera emendare Photium et Timaeum, nam recepta

scriptura videtur quidem niti duorum testimonio, sed revera unicus sponsor est. Timaeus interpretatur *πατρούχου παρθένου*. Photius approbat. Tamen verum est *παμούχου*. Uterque interpretatur *σκιωρῖται*, sed reponendum est *σκιρῖται*. Timaeus docet quid sit *κνάφος*· instrumentum *δι' οὗ τοὺς βασανιζομένους κτείνουσιν*· quod Bastius invenit *ἐκτείνουσιν*, id redde Photio quoque, qui socius erroris est. Raro Photius solus servavit emendatam scripturam; non novi exemplum luculentius quam glossam *οὐκ ἄλλως πονεῖται*, sine qua Timaeus quid vellet quum scribit *οὐκ ἄλλως προνοεῖ*, omnino non intelligeremus. Vide quoque apud utrumque glossam *παλιναίρετα*. Hanc ita scribit Ruhnkenius: *παλιναίρετα· φευκτά, ἔκβλητα, τὸ ἐναντίον πρὸς αὐτῇ τῇ αἱρέσει πάθος ἐμποιοῦντα· σημαίνει δὲ καὶ τὰ πάλιν αὐτὰ ἐν Τιμαίῳ· παλιναίρετα γάρ φησι γεγονότα πάντα καὶ διεφθαρμένα*. Photii Codex habet *π· φ. ἔκκλιτα· τὸ ἐναντίον αὐτῇ τῇ αἱρέσει* — *σ. δ. καὶ παλςπά* ex librarii ut videtur emendatione. E prima scriptura restat *πα̇λι.α̇.* i. e. *πάλιναὐ* ut putat Dobraeus, i. e. *πάλιν αὐτά*, unde Porsonus praeeunte Toupio *παλαιὰ* fecit, Dobraeus *παλαιὰ Πλάτων*, Hemsterhusius *παλίνσυτα*· rem acu tetigit G. Dindorfius qui scribit *παλίνλυτα* vel *παλίλλυτα* in Thes. VI. 90 C. Praeterea Dobraeus scribit *προσάντη, τὸ ἐναντίον τῇ αἱρέσει π. ἑ.* Unum addam locum, ubi vera scriptura e Timaeo repetenda est. Legitur apud Photium; *τερατίαι· ψευδολογίαι· οἱ θαυμαςὰ καὶ παράδοξα μυθεύοντες*, sed excidit lemma *τερατολόγοι* et duo prima verba *διττογραφία* sunt praecedentis glossae, nihil aliud. Ceterum Timaeus non multum debet Photii editoribus; pauca quaedam Dobraeus dedit in Adversariis et ad calcem Photii, pauciora Porsonus, cuius unam emendationem notabo quia latet in Photio, nempe in glossa *παιανίσαι*· praeiverat tamen Ruhnkenius.

Unum si notavero Photium usurpasse Timaei Codicem interpolatum, h. e. in quo iam insertae essent illae glossae Herodoteae, aliae, quae ad Platonem non pertinent, de quibus Ruhnkenius in praefatione dixit, pergam dare exempla quaedam quibus efficio quod initio dixi Timaei lexicon olim fuisse paulo plenius quam nunc est. Photii glossa est *Ζειραί· χιτῶνες ἀνακεκολαμμένοι ἢ ἀνάκωλοι. Ξενοφῶν· καὶ ζειρὰς μέχρι τῶν ποδῶν*

ἐπὶ τῶν ἵππων ἔχουσιν ἀλλ' οὐ χλαμύδας. Xenophontis locus legitur in Anab. VII. 4. 4, sed ab Etymologo qui Photii Codice usus est haud paulo emendatiore quam noster est, ut infra dicam, accipe ἀνακεκολπωμένοι pro ἀνακεκολαμμένοι, quod Ruhnkenius iam vidit. Quid autem Timaeus? Nihil nisi haec: ζειραί· χιτῶνες ἀνακεκολλαμμένοι. Timaeus κατόπιν· μετὰ ταῦτα, Photius addit: ἢ μεταξύ. Photius habet μεταλαγχάνειν· μετέχειν ἢ ἀφυσερεῖν· ἢ ἀποτυγχάνειν κλήρου. Timaeus omittit μετέχειν. Et emendandum est καιροῦ pro κλήρου. Timaeus: πλέθρον· ἕκτον μέρος σαδίου. Photius addit ὅπερ ἐσὶ πήχεων ξη'. ὅλον γὰρ τὸ σάδιόν ἐσι τετρακοσίων. Timaeus: Τέμπη· μεταξὺ ὀρῶν σενότητες· rectius Photius: τὰ μεταξὺ τῶν Θετταλίας ὀρῶν περὶ τὸν Ὄλυμπον σενά· καθόλου δὲ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὄρεσι σενώταται διεκβολαί. Timaeus: φθόη· φθίσις ἐξ αἵματος ἀναγωγῆς. Apparet Photii lectionem sinceriorem esse: φθόη· φθίσις ἢ ὄνομα πάθους ἐξ αἵματος ἀναγωγῆς. Sunt pauca quaedam alia ad hunc modum exempla, plurima tamen ubi apud Photium glossae ad breviorem formam redactae sunt, cuius rei prorsus est inutile cumulare exempla. Similia conficies e collatione Timaei et Scholiastae; sed utilius erit monere Timaei doctrinam quantulamcunque ex optimis copiis fluxisse. Ad hoc probandum compone cum Harpocratione glossas θόλος et Κεραμεικός, cum Aelio Dionysio apud Photium glossam ὑπάγειν εἰς δίκην, denique cum Schol. Arist. Nub. 45 qui e Didymo profecit, glossam σέμφυλα. Hinc fit ut interdum aliunde possit suppleri, quia alios exscripsit, cuius fragmenta alibi plenius leguntur. Interpretatur πομπή· ἀπόπεμψις· excidit quod apud Photium additur σημαίνει δὲ καὶ τὸ κοινῶς, quod quid sit non expedies nisi inspecto Eustath. p. 762. 6, qui πομπή· ἡ θρίαμβος ὃν προέλευσιν ἡ κοινὴ γλῶσσα λαλεῖ, i. e. *processionem*. Idem usu venit in glossa σφενδόνη quae e Suida supplenda est, et in paucis aliis.

Nihil restat praeter illud, Timaeum eadem ratione receptum esse in lexicon Bachmanni, et possumus Platonis ridiculum interpretem de manibus deponere, sed antea tamen videbo an aliquid supersit quod operae pretium sit adnotare. Statim ab initio offendor in praefatione ad Gentianum, in qua Timaeus scribit se selegisse τὰ παρὰ τῷ φιλοσόφῳ γλωσσηματικῶς ἢ κατὰ συνήθειαν Ἀττικὴν εἰρημένα. At Atticae

dialecto perpetuo opponitur ἡ συνήθεια, h. e. consuetudo recentiorum Graeculorum, et absurdum est ex Attico scriptore seligere quae dicta sunt secundum consuetudinem Atticam, nam nihil prorsus scripsit Plato quod non sit Atticum. Sed illud eximie Atticum videbatur, quod abhorreret ab usu eorum qui post vixerunt; hoc notabant, ne quis in loquendo vel scribendo erraret. Hinc si qua locutio Attica dicatur ab Atticistis, sequitur aliter dixisse sequiores. Itaque addunt in interpretatione Attici vocabuli vulgare nomen ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ est. Neque igitur Timaeus selegit quae dicta essent κατὰ συνήθειαν Ἀττικήν, sed τὰ παρὰ τὴν συνήθειαν Ἀττικῶς εἰρημένα, quibus subjungit: οὐχ ὑμῖν μόνοις τοῖς Ῥωμαίοις ὄντα ἀσαφῆ ἀλλὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων τοῖς πλείοις.

Ad vocem βέβηλος Ruhnkenius laudat e Symposio p. 218 B.: οἱ δ' οἰκέται καὶ εἴ τις ἄλλος ἐσὶ βέβηλός τε καὶ ἄγροικος, πύλας πάνυ μεγάλας τοῖς ὠσὶν ἐπίθεσθε. Qui novit artem Platonis, mecum probabit πύλας παμμεγάλας, quod vocabulum usurpat Phaed. 109 A. Et ista composita frequentia sunt apud eum: πάμμαχος, παγχάλεπος, πάγκαλος, πάμπολυς, πάγκακος, πάνδεινος aliaque multa. Discrimen non aliunde melius apparere poterit quam e Philebo p. 27 E. ubi quaeritur de voluptate an πανάγαθον sit et de dolore an sit πάγκακον. Scribe πάνυ ἀγαθόν et πάνυ κακόν et senties quam hoc sit absonum. Addam locum e Theaeteto p. 194 E., ubi Platoni Homerus est ὁ πάντα σοφὸς ποιητής, sed veram lectionem accipe a Scholiasta qui τὸ δὲ πάνσοφος, inquit, εἰωθυῖα τοῦ Σωκράτους εἰρωνεία. Omnibus praeivit Homerus qui in Odyss. γ. 6 ταύρους vocavit παμμέλανας.

Vitium est in Timaeo v. ἐξοσρακισμός, in quo narrat: Πῆγμα δὲ γίνεται ἐν τῇ ἀγορᾷ εἰσόδους ἔχον, δι' ὧν εἰσιὼν πολίτης ἕκασος ὄσρακον τίθησιν ἐπιγεγραμμένον. Quod conjeceram legendum esse δέκα εἰσόδους, id nunc video confirmatum a Schol. Arist. Eq. 855.

In glossa ὀκρίβας hucusque διττογραφία viros doctos ludificata est. Legitur: — λέγει γοῦν τις· λογεῖόν ἐσι πῆξις ἐσορεσμένη ξύλων κτἑ. At verba λέγει γοῦν τις librarii sunt, qui cum Codicem quem describeret male legisset, postea addidit veram lectionem: λογεῖόν ἐσι. Neque igitur Timaeus veterem

grammaticum laudat sententiae suae astipulatorem, quae Ruhnkenii sententia est.

Pag. 220 Timaeus explicat quid sit πόπανα. Respicit Plat. Rep. V. 455 C., ubi Scholiasta: ποπάνων· πλακουντίων πλατέων καὶ λεπτῶν καὶ περιφερῶν· ἔψημα δ' ἐξὶν ὃ ἔνιοι ἐραῖον καλοῦσιν, οἱ δὲ γλυκύ. Si mecum nescis quid sit ἐραῖον, probabis σίραιον, cf. Paus. apud Eust. p. 1385. 13.

Sed satis de hoc argumento. Addo me in Photio delevisse glossas e Timaeo descriptas; peperci vero iis quae tantillum exhibent quod apud eum deest.

§ 14.

De glossis Homericis.

Videndum est nunc de glossis Homericis, quas quia nil quidquam habent commune cum vetustis lexicis rhetoricis et Platonicis, quorum causa suscepimus Photium tractare, separatim exscripsi et sedem assignabo in Appendice. Qui harum adnotationum seriem inspexerit, quod nunc commodissime facere poterit, statim deprehendet nihil iis contineri, quod pertineat ad Homeri carmina melius constituenda; omnes exiliter scriptae sunt et facile senties eas contractas esse ex opere quodam maiore, quo vocabula epica percenserentur, quae e communi hominum consuetudine evanuissent. Non est arduum negotium agnoscere glossas quae huc pertinent, nam Poeta tot habet sibi propria et remota ab Atticorum dictione, ut plerumque liquido constet, etiam in simplicissima observatione, quis Homeri locus intelligatur. Accedit Apollonius qui in Lexico saepe eadem tradit sed doctius ornat. Praeterea Hesychius habet glossas homericas multo quidem plures quam Photius, de quibus rectissime retulit M. Schmidtius in Quaestionibus Hesychianis, sed plurimae tamen glossae leguntur apud utrumque lexicographum verbis prorsus iisdem, praeterquam quod Photius admodum parcus est in exscribendis ipsis Homeri verbis, quae apud Hesychium haud raro adduntur, corrupta quidem, vix ut appareant, sed tantum non omnia feliciter sanata a Marco Musuro, cuius opera Hesychio

nusquam plus profuit, quam in istis monstris procurandis, quae nemo expedire potuisset, nisi ipsi loci exstarent, unde singula manarint. Hos omnes, Apollonium dico, Hesychium, Photium, ex eodem fonte sua derivare, liquido constat, quia haud raro corruptelas easdem fideli concordia repraesentant, ita ut ad maculas eluendas ipso Homero opus sit et lexicographi nullam inter se mutuam operam praestare possint. Res certa esset et manifesta, etiamsi unicum tantum exemplum afferri posset, sed sunt huius generis multo plura, vide quae dicam ad glossas *λήθην κυνῶν*, *ξυνοθόκος*, alias. Imprimis luculentum est quod Apollonius habet *ϛρεύεσθαι*, pro quo Hesychius habet *ἠδηθαϛρεύεσθαι*, *θαϛρεύεσθαι* et *δηματρεύεσθαι*, Photius *θηραϛεύεσθαι*· quae omnia referenda sunt ad Hom. Iliad. *ο*. 512: *ἢ δηθὰ ϛρεύγεσθαι ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι*. Varias lectiones quibus quis utatur ad Homeri textum melius constituendum, Photio contineri non credo, modo excipias quae dicam ad vocabula *ϛαυρωτῆρσι* et *τίοντες*. Itidem in lexico Bachmanni tres glossae sunt quas cum Homero comparaverim ad antiquam lectionem eruendam: *βαθυπέπλων* cum Iliad. *σ*. 122, *δυσκλεές* c. Iliad. *β*. 115 et *ἐκτὸς ἰόντας* cum Iliad. *δ*. 151.

Si quaeris unde omnes istae glossae desumtae sint, respondeo ex lexico quodam quod Apionis et Heliodori esse ferebatur. Hinc multa decerpsit Apollonius, quo factum est ut saepe Hesychius, aliquando etiam Photius plura habeant, licet plerumque Apollonius plura servaverit. Hesychium idem glossarium usurpasse demonstravit M. Schmidtius, qui in nulla Quaestionum Hesychianarum parte felicior fuit; illinc quoque patet sua derivasse Photium. Apionis quater meminit, Heliodori bis, Apollonii semel. Ne autem credas Apollonium unicum in hisce Photii fontem fuisse, illud obstat quod dixi, hunc aliquoties plura habere. Itaque Apion ut hoc utar a Photio laudatur in voce *ἀάπτους*, quamquam Apollonius in voce eius non meminit. Neque tamen probari potest, quod facile quis possit suspicari, Apollonium ipsum ab Epitomatore quodam contractum fuisse postquam Hesychius et Photius eius opus in lexica sua retulissent, nam Apollonius et Hesychius saepe accuratissime conveniunt et utuntur verbis prorsus iisdem, quamquam hoc minime negaverim Apollonii lexicon olim plenius fuisse, nam hodie non

comparent observationes quas Etymologus ex eo laudat v. *αἰζηός*, *ἄλεισον*, *νήφω*.

Sed cave credas glossas homericas, etiam illas quae paulo uberiores sunt, quodammodo referre colorem celebris illius Apionis, qui Romae vixit sub Tiberio et Caio Caesare, adversus quem Flavius Josephus scripsit, quique propter interpretandi poetae artem, ut Seneca scribit, tota Graecia circumlatus fuit, cf. Wolf. Proll. ad Hom. p. XXII et Valck. in Dissert. de Scholiis in Hom. p. 148. Noli dubitare hunc doctius scripsisse, ut illis temporibus ista fama dignus esse iudicaretur; sed recentiores eius nomine abutebantur, quod cum ipso Aristarcho conjungebant, ut Hesychius fecit in Lexici Inscriptione, et Apionis esse mentiebantur exilia excerpta quae e veterum grammaticorum scholis ad seros posteros pervenissent. Celebri Apionis nomine commendationem quaerebant operibus nullius doctrinae, cuius rei exemplo est glossarium Homericum puerile et prorsus inutile, quod legitur post Etymologicum Gudianum p. 601 Stürz. Pari modo dixerim pueros nostros terere exiguos libellos ad puerilem captum accommodatos, quibus editores titulum dederunt epitomen Buffonis vel Humboldtii, quamquam nihil in iis restet quod Buffone vel Humboldtio dignum sit. Aliud exemplum in Eustathio est, qui usurpavit commentarios Apionis et Heliodori, quos Lehrsius in libro de Aristarchi studiis luculenter probavit conflatos fuisse ex Herodiani libro *περὶ Ἰλιακῆς προσῳδίας*. Heliodorus autem quis fuerit ignoratur; quin et ambigitur de nominis forma, nam alibi haud raro et semper ni fallor apud Eustathium Herodorus nominatur. Eustathium tamen Codicis vitio deceptum fuisse suspicor et malim eum Heliodorum vocare, non adeo quia demonstrari posse puto hunc eundem esse quem Horatius Graecorum longe doctissimum dixerit, sed quia haec nominis forma paulo crebrior est et bis terve abiit in *Διόδωρος*. Fuisse autem grammaticum satis antiquum et fere aequalem Apionis, credibile est, quia nomen eius cum Apione frequenter conjungitur. Neque tamen Apion et Heliodorus conjunctis viribus usi esse videntur in Homero interpretando, — saepe enim alteruter laudatur et haud raro dissentiunt, — sed quia utriusque operis similis erat ratio, nescio quis e duobus commentariis excerpendo et conjungendo fecit unum. Huius

operis epitomen usurparunt Photius et Apollonius, quem Villoisono non credam magistrum fuisse Apionis, qui e discipuli operibus sua fecerit quae maxime probaret, sed grammaticum quemdam qui diu post vixerit. Neque propterea fidem detraxerim Suidae qui docet Apionem Apollonio usum fuisse magistro Archibii filio, nam nihil impedit quominus credamus alium quemdam assumsisse Apollonii nomen, eodem iure vel si mavis eadem injuria, qua ineptus scriptor de vocum differentiis, impudenter mentitur se esse Ammonium. Quis credat aequales Ammonii, qui Aristarchi discipulus fuit eique successit, vel Apollonii, quem Apionis magistrum fuisse vidimus, tam puerilia et ieiuna ferre potuisse?

Sed videamus an apud alios aliquid lateat, quo ea quae supra magis suspicatus sum quam argumentis declaravi, corroborentur. In Scholiis Homericis Apion et Heliodorus aliquoties laudantur, sed opus fuit persimile illis commentariis quibus Apollonius usus est, nam Schol. Iliad. γ. 448 convenit cum Apollonio v. τρητοῖσι, Schol. Iliad. ν. 564 cum Photio v. σκῶλον, Schol. Iliad. δ. 457 confer cum Hes. v. ἱπποκορυσταί, nec dissimilis ratio fuit in Scholiis ad Odysseam, nam quod legitur Schol. Iliad. ξ. 216 convenit cum Schol. Odyss. θ. 288. Hinc minime mirum est Apionem et Heliodorum γλωσσογράφους vocari in Schol. Iliad. ο. 324. Parum confert ad hanc quaestionem Magnus Etymologus, qui tum quaedam habet e Photio ipso, qua de re infra dicam, cf. v. πείρινθος et σφάραγον, tum quaedam habet sibi peculiaria, quae eius testimonio nunc primum cognoscimus Apionis esse, quorum exemplum est quae exscripsit v. ἄσασθαι.

Sed alia via est qua cognoscamus quae, missis recentiorum excerptis et quisquiliis, revera Apionis sint. Scilicet Eustathius Apionem et Heliodorum laudare non solet extra Iliadem; facile credimus, nam liber quem illorum grammaticorum esse existimabat, maximam partem conflatus erat ex Herodiani commentario περὶ Ἰλιακῆς προσῳδίας neque attingebat Odysseam. Hinc ad Odysseam Heliodorum nunquam laudat, Apionem bis, nempe p. 1597. 5, quem locum legens memineris Athen. p. 16 F et p. 1509. 31, ubi ita disputat: Ἀπίων κατασκευάζει τὴν περὶ Κάνωβον καὶ Ζεφύριον πεδιάδα οὕτω κληθῆναι (nempe Ἡλύσιον)

παρὰ τὴν τοῦ Νείλου ἰλύν, ἣν πολλὴν καταφέρων ἐκεῖνος προσέχωσε τὴν κάτω χώραν καθ' Ἡρόδοτον πᾶσαν, πάλαι ποτὲ πέλαγος οὖσαν, ὡς δῆλόν φησιν ἐκ τῶν ἐκεῖ εὑρισκομένων κογχυλίων καὶ λεπαδίων, ὡς καὶ περὶ Μέμφιν. Καὶ σκοπητέον εἰ μὴ ὁ τοιοῦτος τοῦ Ἀπίωνος λόγος διὰ τοῦ ἰῶτα γράφει τὴν τοῦ Ἠλύσιον ἄρχουσαν, ὡς ἀπὸ τῆς ἰλύος. Ὁ δ' αὐτὸς λέγει καὶ ὅτι πείρατα γαίης ὁ ποιητὴς ἐνταῦθα τίθησιν, οὐ τὰ πρὸς Ὠκεανόν, ἀλλὰ τὰ ἐκεῖ πρὸς τῇ κατὰ Νεῖλον θαλάσσῃ, καθὰ καὶ Αἰσχύλος εἰπών· ἐσὶν πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονός, διὸ καὶ Μενελαΐτης νομὸς ἐκεῖ, ὡς τῆς τοιαύτης γῆς ὑπὸ Μενελάῳ ποτὲ γενομένης. Vide haec nunc multo breviora in Schol. Odyss. δ. 565 et compone Photii glossam Ἠλύσιον. Ibi ex Apione nil quidquam servatum est praeter hoc, fuisse quosdam qui Elysium in Aegypto collocarent. Viden nunc quantum intersit inter Apionem et inanes glossas homericas quas debemus Photii amanuensi? Rectene Apion disputaverit nec ne, nunc non quaero, sed ideo tantum protuli ut cognosceretur qua ratione versatus fuerit in Homero interpretando. Qui hoc argumentum ulterius persecuturus est, conferet praeterea Eustath. p. 47. 12; 157. 4; 474. 38; 922. 50; 1005. 63; 1043. 47, et ubi Apion laudatur sine collega p. 757. 24 et 763. 9, alios fortasse locos, sed praecipui sunt quos dixi. Memorabile praeterea est fragmentum in Scholiis in Grammaticam Dionysii Thracis, ubi de literarum elementis et alia quaedam haud incuriose perscripta sunt et hoc: ὡς δὲ Ἡλιόδωρος καὶ Ἀπίων ἐν τῷ περὶ τῶν στοιχείων ὅτι πλεῖσοι κτέ, quibuscum operae pretium est comparare quae Josephus contra Apionem disputat I. 2. p. 439. Finem faciam in indicando Athenaei loco p. 501 D, unde patet Apionis et Heliodori studium non circumscriptum fuisse Homeri carminibus, sed eos comoediam quoque Atticam attigisse. Quaedam invenies quoque, quae huc faciunt, in Villoisoni Praefatione ad Apollonium, sed suspicor virum doctissimum de nonnullis aliter iudicaturum fuisse, si Veneta Scholia, cum illa scriberet, jam cognovisset.

§ 15.

De glossis sacris.

De glossis sacris quid theologi sentiant nescio, sed mihi

certe perexigui pretii videntur et bonas horas ubivis melius collocari existimo, quam in istis quisquiliis colligendis et emendandis. Photio tamen ut prodessem et philologis qui Photio utuntur ad sinceram Graecitatem cognoscendam, improbum laborem suscepi et sedulo operam dedi ut sacrarum quoque glossarum originem explanarem. Scilicet cum veteres Lexicographi, quod saepe vidimus, singula vocabula quae interpretarentur, referre solerent ad certum quendam scriptoris locum, sequitur nos utiliter adhibere posse veteres illas λέξεις ad Graecorum scriptorum emendationem, sed requiri ut sciamus quo quaeque adnotatio referatur. Hanc autem provinciam ut perite administremus, in Photio imprimis opus est ut deleantur glossae sacrae. Liquido constat Photium, ut omittam paucas glossas interpolatas, usum fuisse fontibus iis quos dixi; egregia contulit ad Atticae dialecti cognitionem; ipse scienter tractatus meritam gratiam referet et efficiet ut multi grammatici rectius intelligantur; sed inanis erit opera nostra, nisi notatis glossis sacris, irrepticiis et ineptis, qua Atticae dialecti ratio non monstratur sed pessumdatur. Sequitur ut dicam quibus indiciis istiusmodi glossae deprehendi possint. Primum opus est opinor ut vocabulum in Sacra Scriptura legatur, sive in vulgata LXX virorum versione, sive in alia. Nonnullarum glossarum origo per se patet; certe nullum dubium est quin apud Photium sacrae sint glossae μαζουρώθ, μαμωνᾶς, μαναά, σαβέκ, σεραφίμ, σικέρα, aliae. Tum observabis omnes glossas sacras exiliter scriptas esse et nulla doctrina commendari. Vocabula rariora facile agnoscuntur, imprimis si laudantur eadem forma, quae in Sacro Codice prostat, quamquam hoc quidem non perpetuum est, nam haud raro librariorum maxime incuria forma diversa est, etiamsi de origine nulla sit dubitatio, cf. Phot. gl. Sacr. εὐπερίσατον et in lex. Bachm. κολαβρισθείη, alias. Sed facile est sedem assignare glossis quales hae sunt: ἐφοδευσάτωσαν, ἠκαιρεῖσθε, ἰσακίω, καταβραβευέτω, καταφοφισώμεθα, ψώχοντες, cet. Imprimis res luculenta est, si glossa eiusmodi est ut ad certum in Sacro Codice locum unice sit accommodata, sive quia plura verba laudantur ut κατὰ πρόσκλισιν, ὅπλα φωτός, προφυλακὴ τῷ Κυρίῳ, sive quia ipse Codex Sacer corruptus est ut in glossis θίβη et καθίξεσθε, sive quia explicatio ex ipsa loci

peculiari ratione ducta est, uti quum θριαμβεύσας dicitur significare δημοσιεύσας, vel κεκραιπαληκώς, quod comoediae potius dederis, per εὐφραμμένος exponitur, vel κοδράντης videtur esse τὸ πᾶν. Accedit aliud argumentum e diligenti collatione Photii cum aliis. Qui primus nominandus est Hesychius, glossas Sacras interpretatur multo plures quam Photius, et utilis est opera Joh. Chr. Gottl. Ernesti, qui separatim edidit Hesychii et Suidae glossas sacras, quas aut ipse aut alii ante eum invenerant. Verum in Ernesto culpandum est, eum tum excerpsisse permultas glossas de quarum origine non satis constaret, tum quasdam omisisse, quas certo argumento comperi ad Sacram Scripturam referendas esse. Caruit enim optimo certissimoque praesidio, quod Pluygersii liberalitati debeo, qui humanissime concessit usum Codicis Vossiani Cyrilli Lexici. Norunt viri docti ad calcem illius lexici adscriptas esse multas glossas Sacras, relatas ad singulos Sacri Codicis libros. Quae pertinent ad Novum Foedus, edidit Albertus, ceteras contemnens, opinor quia nihil conferunt ad melius constituendam versionem LXX virorum: quasi vero eas quas edidit melioris frugis essent. Sed mihi ille Cyrilli Codex utilissimus fuit, nam haud raro ex eo didici originem glossarum, quas nemo hucusque certo argumento suspicatus fuerat sacras esse. Quis Cyrillo non inspecto illuc referet glossas παραβολή, παρώτρυναν, πειρατῶν, πεφρυγμένα, πυθόμενος, σκυτάλη, συνεχόμενος, τίσομαι vel in Bachmanni lexico διικνούμενος et ᾤμην? Prorsus nihil docemur illis ineptiis, sed consequimur id quod non contemnendum est, ne quis putet aliquid boni latere quod ignoremus. Suidae lexicon in hac parte interpretationis prorsus est inutile; constat enim eum solitum fuisse adscribere glossis quas undecumque collegerat, eos locos in quos forte incidisset. Hinc subinde quasi in tenebris collimans verum vidit et addidit eum ipsum locum quem debebat, sed saepius aberravit. Omnino tenendum est in glossarum indagatione nil quidquam interesse quo quamque observationem Suidas referat; et miror Ernestum dubitasse, cum ipse animadvertat saepe apud Suidam locum quem afferat cum interpretatione non convenire. Atque hinc factum est ut multae glossae Ernesto sacrae sint, quae quovis alio pertineant. Deinde observandum est saepe in glossis Sacris pro interpreta-

mento poni ipsum verbum quod in altera sententiae parte legitur, in qua Hebraeorum more idem dicitur sed alio modo. Hinc θραῦσις dicitur esse ὀργή, παραζηλῶ explicatur per παροξύνω, ἀποσκορακίζει et διώκει componuntur, ἐλυμήνατο et κατενεμήσατο, alia. Denique Photius alibi veterum Graecorum usum interpretatur; facile igitur deprehenditur ubi vocabula affert vel minime Attica vel significatione aliena ab Atticorum consuetudine, ut ἐτελέσθησαν, εὐιλατεύειν, εὐλόγησεν, ἠλισγημένος, alia. Ceterum e Photii praefatione discimus eius amanuensem iam addidisse glossas illas sacras: noto ne quis putet eas postea fuisse insertas, quod in Hesychio factum esse comperimus.

Versatus sum in hoc argumento diligentissime, quia intelligebam necesse esse ad Photii plenam intelligentiam. Itaque postquam contuleram Hesychium et glossarium post Cyrillum, Photium cum Sacra Scriptura comparavi. Quas glossas liquido constabat sacras esse, eas relegavi in Appendicem, quem pauci ut opinor inspicient; eas de quibus vel minima dubitatio erat, religioni duxi sede movere et de iis dicam ad Photium ipsum, nam malui profanis glossis paucas fortasse sacras admiscere, quam iudicii errore profanas relegare in locum indecorum. Sicubi Hesychius cum fructu aliquo vel minimo comparari poterat, adnotavi; alias neglexi consensum memorare.

§ 16.

De glossis quibusdam interpolatis.

Sacris glossis alias adnectere potuissem, quae e Philone, Flavio Josepho, Dionysio Areopagita, Cyrillo Alexandrino, Gregorio Nazianzeno et Johanne Chrysostomo desumtae esse videntur, sed rem integram relinquere malo iis qui eam literarum partem sibi sumsere illustrandam: hoc tamen video illas glossas non admodum magno numero esse; et certe non plena manu satisfecit Photius iis quae in praefatione professus erat, se collegisse τῆς καθ' ἡμᾶς θεοσοφίας ὅσαι λέξεις δέονται σαφηνείας. Sed ne nostra disputatio ab hac parte manca sit, quaedam nunc adnotabo de glossis in Photio adventiciis, illas volo quas video non fluxisse ex iis fontibus quos supra recensui,

initio capto a glossa ἤγαλλεν, in qua, laudato Dionis Cassii testimonio, additur: κέχρηνται οὖν τῇ λέξει ταύτῃ ἄλλοι τε καὶ Εὐνόμιος ὁ δυσσεβής, qui locus est in suo genere unicus. Paucae quaedam glossae sunt quae ad Dionem Cassium referendae sunt, nempe ἐσάλευε, ἤγαλλεν, ἠνδρώθησαν, ῥᾳσώνη et ϛάδιον, in quibus nominatim laudatur; in aliis eum agnoscere mihi videor, sed res non satis certa est. Semel eius nomen cum vitio ambulat, in glossa Οὐδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο· proverbium non secundum *Dionem* exponitur sed *Demonem*. Sed unde istae glossae sint et unde huc irrepserit Eunomius ὁ δυσσεβής, non invenio.

Sed simplicissimum erit sequi indicem scriptorum quos Photius laudat. Primus scriptor quem miraberis hic comparere, Aelianus est, ex quo laudatur υἷῶσαι cum derivato υἵωσις· ἡ δὲ χρῆσις, Photius inquit, παρ' Αἰλιανῷ πολλή. Equidem apud Aelianum vocabulum nusquam inveni. Uno praeterea loco respici videtur, nempe in glossa ῥυμβονᾶν. Vide quoque lex. rhet. Bekk. p. 321. 16.

Semel notatur Aristides rhetor a Boetho in glossa λινὸν λινῷ συνάπτεις. Sed verba ὅσα μὴ ἀπῆν τό γε ἀτρεμεῖν ex eodem desumta sunt, notante Abreschio. Sunt huius generis paucae admodum glossae in Photio, ut παρέλαβε τὴν πόλιν cet. quod est Demadis notissimum dictum et Lysiae fragmentum ῥᾷον ἄν τις τοὺς ὀδόντας ἠρίθμησεν ἢ τοὺς δακτύλους, qua glossa literarum ordo turbatur. Itidem loco non suo, nempe post Σᾶ positum est Pindari fragmentum: Σμικρὸς ἐν σμικροῖς, μέγας δ' ἐν μεγάλοις ἔσομαι cet. Quocum compone itidem Pindari λύει δὲ χαλινὸν παρθενίας et μεγάνορος πλούτου et μετῆλθε τὴν ἄλοχον. Hos tamen locos omnes Suidas habet, excepto primo quod laudavi Pindari fragmento, ut videas interpolationes admodum antiquas esse.

Semel laudatur Arrianus in v. παρὰ τούτου, quo minus dubites eidem reddere glossam περιπετῆ γενέσθαι.

Bis laudatur Democritus nempe in vv. ᾗ et μῶ. Sed sunt aliae quaedam Democrito reddendae, cuius glossas explicuit Callimachus, unde in Pamphili gazam fluxerunt. Hinc non miraberis apud Photium voces παράπηγμα et ῥερυθμῶσθαι, et aliae sunt ex aliis fortasse philosophis ut ἐχεμυθία, μετακόσμιον, cet.

Bis laudatur Herodianus in vv. ἀδὴν et θωρακείοις. Semel Dionysius Thrax v. πελανός. Semel Draco v. πάμπαν. Ceteros qui laudantur apud Photium grammatici, nihil attinet hic memorare ob ea quae in superioribus exposuimus. Boethus ut conjicio usurpavit Dionysium Thracem; de Herodiano et de Dracone, qui affertur in glossa quadam homerica unde illuc illati fuerint, non habeo dicere.

Bis laudatur a Photio Hierocles in vv. λέσχη et τέμνουσι Φάρμακον· ter in lexico Bachmanni in vv. διαλέγοιντο γυναιξί, διότι et ἐμποδών, quae postrema glossa ceteris apud Bachmannum doctior est. Quinquies Hieroclem laudat Suidas, nempe iis ipsis quinque locis quos laudavi. Quam vellem scire a quo haec Photius acceperit.

Quis Cassius Longinus fuerit, qui laudatur v. σέρφοι, frustra me quaesivisse fateor.

Libanius semel laudatur in Platonica glossa ἥκισα, quae a Scholiasta repetitur. Duos Boethos, patrem et filium, aequales fuisse Libanii, supra iam observavi. Ex hoc igitur loco Boethi aetas probabiliter constitui potest. Est in hoc Libanii loco vitium facili opera tollendum. Legitur: εἴ τιν' ἄλλον τρόπον ὃν ἥκισ' ὤφθη μετελθὼν ἐν τῷ ὁ ἐπὶ τῇ Φιάλῃ ἔμπορος. Praestat ut videtur c. Schol. Plat. Legg. X. 899 D. scribere ἐν τῷ βίῳ, sed quamquam locus valde obscurus sit, hoc tamen video pro ὤφθη reponendum esse ὠήθη.

Latent in Hesychio multae glossae, epicae praesertim, quas nuper M. Schmidtius demonstravit e carminibus Gregorii Nazianzeni petitas esse. Restant apud Photium quoque glossae aliquot e poeta quodam desumtae, sed vix credo eas e Gregorio esse. Alii igitur videant cui reddant glossas quales sunt ἐς ὀψιγόνους, εὐαγὴς κύκλος, εὔπρωρον, εὔπτορθον, εὐρησιέπεια, εὐρησιλόγος, ἔφορος, ζωαρκές, ζωοδότειρα, ζωροπόται, κατέρεψε, κατηρεφέα, κυκλοφορεῖται, λιφαιμεῖ, μαιόμενοι, ὀϊσούχου, ὀλβοδότης, ὀμβρήσαντος, ὀροφοιτῶνται, παλινοσήσας, παμμήτορα, πανδερκεῖς, πανόπης, περινοσοῦντας, περιφοιτῶνται, πολύθεσον, πολυσμαράγοιο, σκληραύχενας, ὑψιμέδοντες, ὑψιφοίτης, φαεσφόρους, cet.

Irrepsere quoque in Photium glossae quaedam Romanae ut κεντυρίων, πριμιλιγίων, πριμικήριος, ῥελατορία, σέδας, σήλεκτος,

σικάριοι. Vitiose editur μάγνον· Σοφοκλῆς Ὀδυσσεῖ τὸν μέγαν· τὸν ἀπομάσσοντα καὶ καθαίροντα. Non est admodum difficile ad perspiciendum Romanam vocem *magnum* exponi μέγαν. Tum e Sophocle Photius attulit non μέγαν sed μάγον, quod non ex Ulysse excitavit sed ex Oed. Tyr. 387. Etymologiae studio parta est interpretatio τὸν ἀπομάσσοντα καὶ καθαίροντα, cf. quoque Hes. v. μαγίδες. Suspicatus sum aliquando eandem corruptelam latere in Act. Apost. VIII. 9: λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, ubi μάγον malim.

Denique notabo glossas quasdam tenues et inficetas, quarum nullus usus est, v. c. ἐφύμνιον, ἰσοευρής, μεθόριον, μεθόδιον, μετῴδιον, μεθύμνιον, παλινοδία, πληθοχόρος, alias, quas attuli ne quis boni aliquid subesse existimet. Sunt etiam aliae non minus manifestae.

§ 17.

De lexico Bachmanni.

Codex Seguerianus sive Coislinianus 345 continet praeter alia opuscula grammatica συναγωγὴν λέξεων χρησίμων ἐκ διαφόρων σοφῶν τε καὶ ῥητόρων πολλῶν. Huius lexici partem priorem, h. e. eam quae vocabula continet, quae ab litera A incipiunt, primus edidit Immanuel Bekkerus, cum iam antea ex excerptis Montefalconii et Ruhnkenii homines docti intelligere potuerant, quanta esset illius Codicis praestantia. Sed de ea parte quam Bekkerus edidit in Anecdotis mox separatim videbimus, nam multo uberius et doctius conscripta est iis quae sequuntur quaeque primus Bachmannus in Anecdotis publici iuris fecit. Hinc in sequentibus cum lexicon Bachmanni voco, excipio sextum lexicon Bekkeri, cuius causa diversa est. Equidem illud lexicon accurate cum Photio contuli et vidi nihil esse praeter excerpta. Sunt quaedam glossae interpolatae, non multae tamen, sed cetera omnia cum Photio conveniunt: unde sequitur e Bachmanni lexico suppleri quodammodo posse eam Photii partem quae in Codice Galeano deest. Sed in excerpendo grammaticus secutus est rationem prorsus mirabilem et ante hunc diem ni fallor inauditam, nam, si nos aliquid excerpimus, describimus

potiora, sed iste grammaticus omisit fere omnes glossas paulo longiores, taedio scribendi ut videtur, et retulit in suum opus non nisi glossas illas breviores, quarum est in Photio magna copia. Has descripsit ad verbum, ceteras paucissimis exceptis omnino non curavit. Res ut dixi mira est et incredibilis, sed unusquisque comprobare poterit exemplis non dico sexcentis sed aliquot millibus. Excidere permultae glossae e lexicis rhetoricis desumtae, quarum magna pars doctius conscripta est. Ex Harpocrationis Epitome fere nihil superest, e Timaeo pauca, sed exiles glossae homericae evasere; insunt sat multae glossae sacrae, Platonicae haud paucae. Interpolatae sunt aliquot glossae sacrae longiores, quales non leguntur in Photio; interpolatae sunt itidem glossae aliquot rhetoricae, ex Aeschine praesertim, quae non tantum apud Photium desunt sed etiam apud Suidam, sunt alia quaedam de quibus deinceps videbimns, sed imprimis rationem habebo eius lexici partis, quae in Photii Codice periit.

Primum notabo grammaticum fuisse usum Photii Codice, qui Galeano paulo emendatior erat. Hinc subinde ex eius excerptis praesidium peti potest ad Photii emendationem. Rem transigam paucis exemplis.

Legitur apud Photium *τέγος· ϛέγη ἢ ὑπερῷον, δωμάτιον, οἰκεια προσνοεῖν.* Suidas habet *οἰκία πρόσγειος*, quasi umquam *domos* vidisset *sublimes*, ut regia Solis erat. Veram lectionem servavit lexicon Bachmanni *οἰκία, πορνεῖον.* Paulo post exemplum habes in voce *τέλος* quam Photius affirmat et alia significare et *πρᾶξις.* Quod lex. Bachm. exhibet *τάξις*, id commendatur etiam aliorum testimoniis de quibus infra dicam. In glossa *ὄνοι κανθήλιοι* apud Photium periit interpretatio, quam pete e lexico Bachmanni. Idem lexicon ad glossam *πόσθων* addit auctoritatem Menandri *ἐν Ὑμνίδι.* Idem servavit emendatam lectionem in glossa *σοφίαν*, alibi.

Laudat Photius ut modo dixi hic illic Dionem Cassium; unde illae adnotationes manaverint ignoro: non sunt certe ex lexicis rhetoricis Dionysii et Pausaniae, qui ante vixerunt. Ex istis adnotationibus quasdam servavit Noster, quas alibi non haberemus, nisi Suidas itidem Photium compilasset. Exempla sunt *βύας ὤφθη, δοξασίας, ἐδημώθη, ἐδικαιώθησαν, ἐνθυμιζόμενοι* et *ὡς ἐπίπαν.*

Interpolatae sunt quaedam glossae quae ad Aeschinem pertinent, quae non tantum apud Photium desunt sed etiam apud Suidam. Observavi: ἐκκλήτευε e F. L. § 68, ἐμνήσθην e Tim. § 86, ἐπισκήψασθαι e Tim. § 130, ἐργολάβος e Ctes. § 55, ἠτιάσατο e Tim. § 86, κρωβύλος e Tim. § 64, λογισμός e Ctes. § 59, παρρησιάζεται e Tim. § 80, προφερεῖς e Tim. § 49, συνταξάμενος e Tim. § 102, συντεταγμένους e Ctes. § 97, τερατευόμενος e Tim. § 94 et F. L. § 49 et τηλία e Tim. § 55; quae glossae omnes ut dixi apud Suidam quoque desunt. Hoc addo vocabulum ἐκλείαντος quod ex Aeschine affertur, scribendum esse ἐκλέξαντος, referendum scilicet ad Tim. § 119. Conveniunt aliquoties Scholia e quibus ista descripta sunt, nempe in vv. ἐμνήσθην, ἐπισκήψασθαι, ἠτιάσατο, κρωβύλος, συνταξάμενος, τερατευόμενος et τηλία. Scripsit haec ut videtur Zosimus Ascalonita, idem certe qui potiorem partem composuit scholiorum in Demosthenem, quod Dindorfius ostendit in Praef. ad Schol. Aesch. In Photio Aeschines praeterquam in adventicia Epitome Harpocrationis rarissime laudatur.

Insunt quoque glossae sacrae longiores, cuiusmodi non leguntur apud Photium, qui verbum verbo interpretari solet, cf. δῆλοι, ἐφούθ, ἐν ἀτόμῳ. Huc quoque pertinet adnotatio de vocabulo ἐνδελεχισμός excerpta e Iohanne Chrysostomo, προῖκα e Gregorio et πιαλέοις quae extra seriem legitur, quo manifestius pateat locum interpolatum esse; et haec quidem glossa descripta est e Dionysio Areopagita.

Sicuti Photius glossas quasdam Romanas habet, sic noster grammaticus de suo addidit quid esset ῥεπουδιατεύειν.

Aliae glossae sunt, quas e Boetho habuit Photius, e Photio noster, ut εἰσαγγελία coll. c. Schol. Plat. Rep. VIII. 565 C; ἐκβακχευθείς coll. cum Schol. Rep. VIII. 561 A; ἐξ ὑπογύου coll. c. Schol. Menex. 235 C; ἐπιεικῶς coll. cum Schol. Rep. IV. 431 E; ἐπὶ κόρρης coll. c. Schol. Gorg. 508 D; ἐπιτωθάζων coll. c. Schol. Axioch. 364 B; εὐφήμει coll. cum Schol. Gorg. 469 A; κορύζων coll. c. Schol. Rep. I. 343 A; χαριεντιζόμενοι coll. cum Schol. Apolog. 24 C et Rep. IV. 436 D; denique ὡς ἔπος εἰπεῖν coll. c. Schol. Rep. I. 341 A. Aliae sunt quae apud Scholiastam desiderantur, ut χρυσῆν σειρήν, quae glossa desumta est e Theaet. 153 C.

Non miraberis in aliis glossis Thucydidem respici, v. c. in vocibus ἐπεί, ἐπιχειρητέα, χοῦς. Alibi explicantur Attici poetae, ut γοργωπὸν ἔδραν ex Eur. Rhes. 7, ἐπομνύμενον ex Arist. Plut. 725, εὐτειχεῖ πάγῳ ex Eur. Androm. 1010, λαίθαργος ex Arist. Eq. 1028, χειρόνιπτρα ex Aristophane cf. Athen. IX. 408 D, χειμάμυνα e Sophocle, cf. Eust. 1767. 41 vel ὡρακιάσας ex Arist. Pac. 702.

Pellucet fragmentum Pausaniae quod legitur apud Eust. p. 1453 18 in glossa δεύτερος πλοῦς. Coll. Scholiasta ad Plat. Phaed. 99 D docebit Pausaniam et Boethum proverbium eodem modo interpretatos fuisse. Ex Aelio Dionysio ap. Eust. p. 947. 26 est glossa δίκορσον, quae coniungenda est c. seq. gl. δικραές. Glossa δόνακες componenda est cum observatione Aelii Dionysii ap. Eust. p. 1165. 24. Δυσπέμφελος e Pausania fluxit, quem vide ap. Eust. p. 1065. 2. Ἐθάδες fortasse ex Aelio Dionysio ap. Eust. p. 1480. 12. Χρυσολαβές e rhetorico lexico quod Eust. laudat p. 1039. 26.

Notanda denique glossa ἐδεύετο· ἐνδεὴς ἐγένετο· ἐν ἑτέρῳ· ἐκορέννυτο, εὐφραίνετο, ἐβρέχετο. Illud ἐν ἑτέρῳ quomodo interpretandum sit, dubitari potest, cum iam Photius habeat v. ἰαμβύκη· — εἴρηται δ' ἐν ἑτέροις —. Ὀργεῶνες· πρῶτοι ὀργίων καὶ τελετῶν συγγενικῶν· ἀλλαχοῦ οὕτως —. Ὄχετλα· ὀχήματα· ἐν ἄλλῳ σχήματα. Compone Eust. p. 1282. 47 qui laudato Pausania pergit: ἀλλαχοῦ γράφεται οὕτω· ἐγκοτύλη παιδιά τις ὡς καὶ ἑτέρωθι γέγραπται. Alii haec aliter interpretabuntur. Vide quae dicemus § 20.

§ 18.

De sexto lexico Bekkeri.

Iam videamus de sexto lexico Bekkeri, de quo nuper disputavit M. Schmidtius in Annalibus Heidelbergensibus et in Quaestionibus Hesychianis. Cuius si rationes examinare potuissem, multum certe profecissem; sed Leidae in instructissima bibliotheca publica non est copia Annales Heidelbergenses inspiciendi. Librum tamen nactus sum sed per paucos dies, cum aliarum rerum satagerem, ita ut potiora quaedam excerpere licuerit, ar-

gumenta explorare non potuerim. Itaque minime contemnens acumen Schmidtianum, sed coactus ac prope invitus βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν.

Statim ab initio notandus est Dobraei error, qui putabat nostrum lexicon totum relatum fuisse in Photii syllogen. Hoc quidem manifesto falsum est, nam Phrynichi cuius multa egregia in hoc libro insunt, in Photio partes nullae sunt. Neque nunc post amissam Galeani Codicis priorem partem, difficile est definire quae fuerint illa, quae Photius et Grammaticus Bekkeri communia habuerint. Exponam qua ratione mihi de hac re constare videatur.

Collector cui debemus συναγωγὴν λέξεων χρησίμων, in concinnandis observationibus, quas ipse profitetur se aliunde sumsisse, negotio suo ita functus est, ut etiam nunc liquido pelluceat duplex verborum series. Non mea haec observatio est, neque tamen viri docti qui hoc primum animadverterunt, rem mihi videntur bene expedivisse. Veluti cum appareret quae Bekkerus affert ex Eudemi lexico, cuius tria exemplaria sunt necdum edita, Parisiis, Vindobonae et Florentiae, ea omnia legi in priore serie nostrae Sylloges, nihil autem afferretur quod cum altera serie conveniret, hinc effecerunt viri quidam egregie docti illam collectionis partem ex Eudemo depromptam esse. Ipsum Eudemi lexicon neque ego vidi neque quisquam sedulo tractavit, uno fortasse excepto M. Schmidtio qui anno 1856 egit de Codice Vindobonensi, cuius libellus facile me fugisset nisi acceptum deberem humanissimi viri liberalitati. Osannus dicitur lexicon aliquando edere voluisse, sed res eventu caruit. Sed inspexi tamen excerpta quae Ruhnkenius, cum Parisiis degeret, sibi confecerat, et vidi Eudemi inanem opellam esse et tam exigui pretii ut nunquam adducar, ut credam Collectorem nostrum, cui tot tantaque bona et antiqua Grammaticorum scripta praesto essent, illum libellum adhibuisse, qui mihi multis saeculis post exaratus videtur. Quod autem convenit cum priore vocabulorum serie apud Nostrum, res facillima est ad explicandum. Scilicet prior illa series in Suida quoque sola exstat, posterior paucis exceptis non exstat. Hinc mihi videtur admodum verisimile Eudemi opus e Suida esse excerptum. Rem dirimet qui aliquando Eudemi Codices versabit; sed aut multum fallor, aut Eudemus

iste personatus — certe non fuit vetus rhetor Argivus — non dignus reperietur, qui totus edatur. Si M. Schmidtius, cuius iudicium plurimi facio, huc redibit, spero eum hoc mihi adsensurum esse. Nunc intelligo ante omnia mihi indicandum esse ex utra serie quaeque glossa desumta sit. Partim duce literarum ordine qui imprimis in priore serie satis commode decurrit, modo deleas excerpta ex Harpocratione postea addita, partim collatione Suidae qui cum priore serie tantum non ad verbum concinit, sed ex altera serie pauca habet, haec mihi videntur referri debere ad *alteram* seriem :

p. 322. 30.	Ἄβυδος.	— p. 323. 25.	ἀβούλητον.
» 326. 17.	Ἄγραυλος.	— » 327. 25.	ἀγοράν.
» 328. 9-20	ἀγῆλαι.		
» 333. 30.	ἀγαθοεργοί.	— » 340. 26.	ἄγχιμος.
» 342. 22.	ἀδαγμός.	— » 346. 20.	ἄδωρος χάρις.
» 347. 7.	ἀείνως.	— » 348. 9.	ἀέσαι.
» 348. 14.	ἄζα.	— » 349. 12.	ἀήσυρον.
» 350. 14.	ἀθέλδεται.	— » 352. 10.	ἀθυρόγλωσσος.
» 352. 15.	ἀθράνευτον.	— » 353. 17.	ἀθήρ.
» 360. 6.	αἰ αἴ.	— » 363. 8.	αἴτιον γενέσθαι.
» 367. 11.	ἀκμοθέτῳ.	— » 369. 28,	ἀκρατῆ.
» 370. 14.	ἄκακος.	— » 374. 3.	ἀκωδώνισον.
» 381. 20.	ἀλαζονεύεσθαι.	— » 386. 18.	ἀλφινία.
» 394. 6.	ἄνδρα.	— » 395. 5.	ἀνδριάντα.
» 400. 3.	ἀνείλιξιν.	— » 402. 3.	ἀνεσίαν.
» 409. 30.	ἀντιάτας.	— » 411. 20.	ἀνταία.
» 418. 6.	ἀπάλαμνον.	— » 418. 34.	ἀπαρτί.
» 420. 18.	ἀπείρονα.	— » 420. 25.	ἀπέκιξαν.
» 421. 3.	ἀπελεύθερος.	— » 421. 8.	ἀπεμύλλαινον.
» 422. 32.	ἀπεσιγάλωσεν.	— » 423. 6.	ἀπεσαλμένην.
» 426. 30.	ἀποβατῶν ἀγών.	— » 427. 4.	ἀποβροχθίσαι.
» 427. 20.	ἀποδακρύσας.	— » 427. 28.	ἀποδῦσαι.
» 428. 3.	ἀποθευσούμεθα.	— » 428. 6.	ἀποθριάσαι.
» 428. 16.	ἀποκείλαντες.	— » 428. 17.	ἀποκεῖσθαι.
» 429. 29.	ἀπόκινος.	— » 430. 4.	ἀποκτυπῆσαι.
» 430. 30.	ἀπόλειψις.	— » 431. 12.	ἀπολιταργίσαι.
» 431. 26.	ἀπόμακτρα	— » 432. 9.	ἀπομυξία.
» 435. 23.	ἀποσκευάσαι.	— » 436. 19.	ἀπόσα.

p. 438. 7. ἀποτριάξαι. — p. 438. 18. ἀποτυχίσαι.
» 439. 9. ἀποφηληκίσαι. — » 439. 10. ἀποφανῶσαι.
» 442. 13. ἄρασθαι. — » 443. 31. ἄρδηττος.
» 444. 13. Ἄρθμιος. — » 447. 28. ἀρτοσιτεῖν.
» 449. 26. ἀρχαιρεσιάζειν. — » 450. 20. ἀρχιτέκτων.
» 451. 10. ἀσελγές. — » 451. 19. ἄσεπτον.
» 451. 28. ἀσία. — » 452. 5. ἀσιάδος κρούματα.
» 452. 21. ἀσκάντης. — » 452. 29. ἀσκοβύλακον.
» 453. 8. ἀσπάζεσθαι. — » 453. 25. ἄσσιςα.
» 455. 17. ἀςαθμητότατον. — » 456. 10. ἀςυφίαν.
» 456. 27. ἀσφάλεια. — » 456. 29. ἀσφαλεςέρους.
» 457. 21. ἀσχέδωρος. — » 457. 25. ἀσώδης.
» 460. 27. ἀτραπίζειν.
» 461. 21. ἀτταγᾶς. — » 462. 4. ἀτυχεῖν.
» 464. 2. αὔληρον. — » 464. 7. αὖξις.
» 466. 30. αὐτοῖς τοῖς ταλάροις. — » 468. 8. αὐτόχειρα.
» 469. 31. ἀφελές. — » 470. 14. ἀφείκατο.
» 470. 25. ἀφήκοντος. — » 470. 33. ἄφθα.
» 471. 6. ἀφίλητος. — » 471. 14. ἄφιππος.
» 472. 10. ἀφοδεῦσαι. — » 472. 25. ἀφρόδιτος.
» 473. 20. ἀχαρίςους. — » 474. 3. ἀχαρνώς.
» 475. 10. ἀχράς. — » 475. 18. ἄχρηςος.
» 475. 30. ἄψαυςον. — » 476. 1. ἀψεφές.

Quamquam de singulis glossis nil affirmaverim, in universum tamen satis constat ex utra serie depromtae sint. Fieri potest ut hic illic res paulo incertior sit atque singulae binaeve glossae loco motae esse videantur, sed exceptis glossis ex Harpocrationis Epitome ductis, quae in utraque serie inveniuntur, negligenter additae a librario qui literarum ordinem parum curabat et a voce Ἀλωπεκόννηςος usque ad ἀνδροληψία prae festinatione Harpocrationem non inspexit; itidemque deletis Timaei glossulis quarum similis causa est, cf. p. 553. 31: his igitur eiectis, invenies in priore serie literarum ordinem satis accurate esse servatum et paucissima in Suida desiderari. In altera serie quae paulo minus accurate κατὰ ςοιχεῖον scripta est, fere nihil est quod in Suida quoque legatur; sunt tamen pauca quaedam ibi lecta, ut p. 442. 13 — 443. 31. Restat iam ut videamus quem usum ista observatio habeat, sed primum laudanda est

ingeniosa conjectura M. Schmidtii, Methodium fuisse qui hoc lexicon conflaverit. Nititur praesertim duobis locis si recte memini. Alter est p. 445. 27: *ἁρμάτειον μέλος· εἴρηται εἰς τὸ ἐτυμολογικόν*, quocum comparat quae ex Methodio affert Etymologus Magnus ad interpretandum Eur. Or. 1379. Minus evidens, si quid iudico, est Schmidtii conjectura p. 455. 2: *ἀσρίχους· τοὺς ἀσραγάλους λέγουσιν ὡς ἀνωτέρω εἴρηται*, ubi reponit *ἐν ἑτέρῳ*. Nempe illud ipsum quid esset *ἄσριχος* grammaticus *modo* docuerat. Sed cf. p. 374. 22 *ἀλάσωρ* et Etym. M. p. 57. 25: *συμφωνεῖ δ' αὐτοῖς καὶ* Μεθόδιος *εἴς τινα* et alios locos.

Priusquam ad caetera pergo, non abs re erit monere praeter Harpocrationem et Timaeum, quorum doctrinam non requirimus, inesse praeterea nostro lexico permultas glossas homericas et aliquot scripturarias, utrasque ni fallor postea illatas; illas parvi facio, has vitiosa nuce non emerim. Istis igitur omnibus deletis, vel si mavis in unum locum congestis, videamus quae bona ceteris insint; quibus aestimandis viam monstravit Cobetus in decimo volumine Mnemosynes. Scilicet obvia sunt eximia quaedam fragmenta translata e rhetoricis lexicis Aelii Dionysii et Pausaniae. Verbo notabo exquisita exempla quae Cobetus attulit, cetera describam.

Itaque Cobetus cum nostro lexico et cum Suida composuit fragmenta quae Eustathius nominatim affert ex utroque rhetore, tum cognito et demonstrato more quem Dionysius in conscribendis doctis animadversionibus secutus est, alibi quoque apud Suidam et apud Nostrum ejusdem vestigia pellucere docuit. His usus est exemplis:

p. 322. 12	*ἄβρα*	coll.	cum	Eust.	1854. 16
» 323. 26	*ἀβυρτάκη*	»	»	»	1854. 26
» 324. 15	*ἄγνον*	»	»	»	1638. 11
» 325. 2	*ἄγγαρος*	»	»	»	1854. 28
» 360. 32	*αἴνειν*	»	»	»	801. 56
» 371. 1	*ἄκασκα*	»	»	»	668. 28
» 473. 32	*ἀχάνη*	»	»	»	1854. 9.

Videamus reliqua. Legitur p. 324. 16: *ἀγνοία· τὴν τελευταίαν ἐκτείνουσιν*. In Suida locus casu deest. Cui adnotatio debeatur monstrabit Eustathius p. 1579. 26, ubi disputat de

forma ἀληθείην· οἱ γὰρ παλαιοὶ, inquit, Ἀττικοὶ κατ' Αἴλιον Διονύσιον ἐξέτεινον τὰς τῶν τοιούτων ὀνομάτων ληγούσας, διὸ καὶ παρώξυναν αὐτά. ἡ ἀγνοία γάρ, φησιν, ἔλεγον καὶ ἡ εὐκλεία καὶ ἡ ἱερεία καὶ ἡ ἀναιδεία δέ φησι καὶ ἡ προνοία, ὧν πάντων ἐκτείνεται μὲν ἡ τελευταία, ἡ δὲ πρὸ αὐτῆς ὀξύνεται. Ἀριστοφάνης Δαιταλεῦσιν· ὦ προνοία καὶ ἀναιδεία. Tum Aelius Dionysius laudarat sententiae auctorem ipsum Eratosthenem, cuius rei mentionem vide apud Photium v. εὐκλεία. Nota ex eodem fonte sua habere Choeroboscum in Anecd. Bekk. p. 1314. Bergkius in Aristophanis loco scribit ὦ πορνεία καὶ ἀναιδεία. Vide Piers. Moer. v. ἱερεία. Elmsl. Eur. Med. 608. Legitur ἀγνοία Soph. Trach. vs. 350, ἱερεία Eur. Bacch. vs. 1112. Legitima tamen forma est ἄγνοια, ἱέρεια, ἀναίδεια, cet.

Itidem apud Suidam casu deest quod legitur p. 324. 19: ἄγμα· σύντριμμα καὶ τὸ κατειργασμένον ἔριον. De eo vocabulo Eustath. p. 1414. 28: εὕρηται γοῦν ἐν λεξικῷ ῥητορικῷ ὅτι ἄγμα οὐ μόνον σύντριμμα ἀλλὰ καὶ τὸ κατειργασμένον ἔριον. Paulo superius p. 1399. 58: Φησὶ καὶ Παυσανίας ὅτι ἄγειν καὶ ὑπάγειν καὶ ἐπὶ τοῦ πίνειν λέγεται. Αἴλιος δὲ Διονύσιός φησιν ἄγημα παρὰ Μακεδόσι τάγμα ἀπόλεκτον ἱππέων καὶ ὁπλιτῶν. — δῆλον δὲ ὅτι ἄγειν λέγεται καὶ τὸ κλᾶν, ὅθεν καὶ ἄγμα τὸ σύντριμμα καὶ τὸ κατειργασμένον ἔριον, τὸ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Τραχινίαις κάταγμα, nempe vs. 695. Sed quis ἄγμα dixerit pro κάταγμα ignoro. Ex nostro loco conficio Pausaniae esse adnotationem de verbo ἄγειν p. 335. 23 sed ad eum locum infra redibo. Nunc satis est monere e Dionysio descriptum esse p. 327. 26: ἄγημα· τὸ προϊὸν τοῦ βασιλέως τάγμα ἐλεφάντων καὶ ἱππέων καὶ πεζῶν· οἱ δὲ τὸ ἄρισον τῆς Μακεδονικῆς συντάξεως, quod itidem Suidas habet.

Multiplex corruptela deturpat observationem p. 326. 24: Ἄγραι· χωρίον ἔξω τῆς πόλεως Ἀθηνῶν οὗ τὰ μικρὰ τῆς Δήμητρος ἄγεται μυστήρια ἃ λέγεται τὰ ἐν Ἄγρας, ὡς ἐν Ἀσκληπιοῦ. Φερεκράτης Γραυσίν· Εὐθὺς γὰρ ὡς ἐβαδίζομεν ἐν Ἄγρας. Καὶ Ἀρτέμιδος Ἀγραίας αὐτόθι τὸ ἱερόν. Πλάτων Φαίδρῳ (229 C.)· ἢ πρὸς τὸ τῆς Ἄγρας διαβαίνομεν. Κλείδημος ἐν πρώτῳ Ἀτθίδος· τὰ μὲν οὖν ἄνω τὰ τοῦ Ἰλισοῦ πρὸς ἀγορὰν Εἰληθυῖα· τῷ δ' ὄχθῳ πάλαι ὄνομα τούτῳ ὃς νῦν Ἄγρα καλεῖται Ἑλικών· καὶ ἡ ἐσχάρα τοῦ Ποσειδῶνος τοῦ Ἑλικωνίου ἐπ' ἄκρου· Καὶ ἐν τῷ

τετάρτῳ· εἰς τὸ ἱερὸν τὸ μητρῷον τὸ ἐν Ἄγραις. Vides Pherecratis locum mendosum esse. In Clidemo Ruhnkenius ad Tim. p. 223 pro Εἰληθυῖα reposuit Ὠρείθυια, caetera corrigenda reliquit *acutioribus:* itaque fuerunt qui hoc sibi dictum putarent et fecerunt emendandi periculum. Sed locus conclamatus est; hoc unum perspicere mihi videor in ἀγορὰν latere Ἄγραν. Est autem adnotatio Pausaniae, quod Ruhnkenius iam docuit coll. Eustath. p. 561. 37: ἔτι δὲ καὶ Ἀγροτέρα Ἄρτεμις ὡς καὶ ὁ κωμικὸς δηλοῖ (Eq. 660), ἡ καὶ Ἀγραία παρὰ Πλάτωνι κατὰ Παυσανίαν, ἀπὸ χωρίου πρὸς τῷ Ἰλισῷ, ᾧ κλῆσις Ἄγραι καὶ Ἄγρα, οὗ τὰ μικρὰ τῆς Δήμητρος ἤγετό φησι μυσήρια, ἃ ἐλέγετο τὰ ἐν Ἄγρας ὁμοίως τῷ ἐν Ἀσκληπιοῦ. Ex eodem Clidemi loco profecit Aelius Dionysius, cuius illud esse suspicor p. 334. 11: Ἄγραι· χωρίον ἔξω τῆς πόλεως, ἱερὸν Δήμητρος, ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυσήρια ἄγεται· ὀνομασθῆναι δὲ αὐτὸ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Ἀρτέμιδος πρότερον Ἑλικῶνα καλούμενον, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ἔνθηρον εἶναι καὶ πλῆρες ἀγρεύματος. Erat igitur haud procul ab Athenarum urbe trans Ilissum locus quidam editus Ἄγραι vel Ἄγρα dictus; olim nomen ei erat Ἑλικών. Hic celebrabantur minora Eleusinia, τὰ ἐν Ἄγρας dicta. Erat quoque nobile templum Dianae, quae hinc cognomen acceperat Ἄγρας vel Ἀγραίας. Erant denique arae Neptuni et Boreae. Vix plura elicias.

Quod legitur p. 327. 6: ἀγαθὸν δαίμονα· ὃν μετὰ τὴν ἄρσιν τῶν τραπεζῶν ἔπινον, ex Aelio Dionysio est, cf. Eust. p. 1471. 32: ἦν τι ποτήριον, ὡς ἱστορεῖ Αἴλιος Διονύσιος, ἀγαθοῦ δαίμονος λεγόμενον τὸ μετ' ἄρσιν τραπεζῶν προσφερόμενον. Quantum satis est de hoc argumento Athenaeus egit, sed vide nunc nostrum grammaticum p. 334. 4: ἀγαθοῦ πόματος· τὸ μετὰ τὸ δεῖπνον ἄκρατον πινόμενον παρ' Ἀθηναίοις· τὴν δευτέραν γὰρ πόσιν οὕτως ἔλεγον. Corruptum locum qui Pausaniae videtur, non restitues nisi collato Suida: ἀγαθοῦ δαίμονος· ἔθος εἶχον οἱ παλαιοὶ μετὰ τὸ δεῖπνον πίνειν ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπιρροφοῦντες ἄκρατον καὶ τοῦτο λέγειν ἀγαθοῦ δαίμονος, χωρίζεσθαι δὲ μέλλοντες Διὸς Σωτῆρος· καὶ ἡμέραν δὲ τὴν δευτέραν τοῦ μηνὸς οὕτως ἐκάλουν· καὶ ἐν Θήβαις δ' ἦν ἡρῷον ἀγαθοῦ δαίμονος.

Sequitur p. 331. 14: ἀγύρτης· ἐπαίτης, Φιλοκερδής· ἢ ὁ ἀλαζὼν καὶ ἀπατεών· τὸ δὲ ἀγείρειν καὶ περιαγείρειν τὸ περιιέναι καὶ περίνοσεῖν, ἐπὶ νίκῃ ἤ τινι ἑτέρῳ σεμνύνειν. Pererudita est

Boethi adnotatio apud Photium v. περιαγειρόμενοι, de qua vide Ruhnk. Tim. p. 216 et 9. Cob. Mnem. XI. 388. Noster autem grammaticus sua habet ex Aelio Dionysio p. 1430. 57 Eust.: λέγεται δὲ κατ' Αἴλιον Διονύσιον Ἁλικαρνασσέα ἀγείρειν καὶ τὸ περιιέναι καὶ περινοσεῖν ἐπὶ νίκῃ ἢ ἑτέρῳ τινί φησι τοιούτῳ, ὅθεν ἴσως καὶ ὁ ἀγύρτης.

Quod legitur apud Eustathium p. 200. 1: ἐν δὲ ῥητορικῷ λεξικῷ γράφεται ταῦτα· ἀγανὸν τὸ καλὸν καὶ ἡδὺ καὶ προσηνές· ποτὲ δὲ κατ' ἀντίφρασιν τὸ χαλεπόν· ἐν ἑτέρῳ δὲ ὅτι ἐσὶ καὶ ἄγανον προπαροξυτόνως καὶ δηλοῖ τὸ κατεαγός· τραγικώτερον δέ φησι τὸ ὄνομα, ne punctum quidem temporis dubitabis qui intelligantur. Vide modo p. 335. 12: Ἄγανον· τὸ κατεαγός, ἢ πρώτη ὀξεῖα· καὶ τοῦτο τραγικώτερον τὸ ὄνομα: – Ἀγανόν· καλόν, ἡδύ· Ἀριστοφάνης Λυσιστράτῃ· (vs. 886)

ἐμοὶ γὰρ αὕτη καὶ νεωτέρα δοκεῖ
πολλῷ γεγενῆσθαι κἀγανώτερον βλέπειν.

Κρατῖνος Χείρωσι·

μακάριος ἦν ὁ πρὸ τοῦ βίος βροτοῖσιν
πρὸς τὰ νῦν ὃν εἶχον ἄνδρες
ἀγανόφρονες ἡδυλόγῳ σοφίᾳ
βροτῶν περισσοκαλλεῖς.

Illud ἄγανον alibi non invenio et suspicor fere a Grammaticis nescio qua de causa fictum esse; alterum ἀγανόν satis notum est. Cratini fragmentum nondum sanatum est et vix fieri posse existimo ut quis poetae manum restituat: tot enim sunt quae a nitida Atticorum compositione recedant; nam ut taceam metrum ruere, quis post βροτοῖσιν requirit ὃν εἶχον ἄνδρες et iterum βροτῶν περισσοκαλλεῖς, quorum hoc ne intelligitur quidem? Et quid est σοφία ἡδύλογος? Praestat abstinere manus. Ceterum Codex habet ὁ πρὸ τοῦ βροτὸς βροτοῖσι et περισσοκαλεῖς, quae Bekkerus correxit.

Sequitur p. 337. 19: ἀγκαλιδαγωγοί· οἱ ἀγκαλίδας ἄγοντες ἐν πλοίοις ἢ ἐπὶ θρεμμάτων· ἀγκαλιδοφόροι δὲ οἱ αὐτοὶ φέροντες ἢ οἱ παῖδες οἱ ἀκολουθοῦντες τοῖς ἀγκαλιδαγωγοῖς ὄνοις· λέγονται δὲ οἱ πιπράσκοντες τὰς ἀγκαλίδας ἀγκαλιδοπῶλαι· εἰσὶ δ' ἀγκαλίδες αἱ τῶν Φρυγάνων δέσμαι, οἷον ὅ ἐσιν ἀγκαλίσασθαι. Unde hoc sit disce ab Eustathio p. 1283. 42: ἀγκαλιδαγωγεῖν κατὰ Παυσανίαν τὸ ἀγκαλίδας ἄγειν ἐπὶ κτηνῶν ἢ πλοίου οὐκ αὐτὸν

φέρονται· τοῦτο γὰρ ἀγκαλιδοφορεῖν. Cf. Poll. VII. 109. Ex utriusque consensu colligo Pausaniam scripsisse ἀγκαλιδοφορεῖν non ἀγκαλιδηφορεῖν.

Pag. 339. 28: ἄγριος ἔλαιος· ἣν οἱ πολλοὶ ἀγριέλαιον καλοῦσιν· ἐςὶ παρὰ Πινδάρῳ ἐν Ὕμνοις. Ipsa oratio prodit Aelium Dionysium et habemus disertum testimonium Eustathii p. 1944. 8. Rectissime observavit: recentiores dicebant ἀγριέλαιος, ἀγριάμπελος· veteres ἄγριος ἔλαιος, ἀγρία ἄμπελος ut ἡμέρα ἐλαία. Analogia late patet: pluribus haec omnia persecutus erat Dionysius, cf. Eust. p. 228. 38.

Brevis est adnotatio p. 348. 2: ἀείταν· τὸν ἑταῖρον· Ἀριςοφάνης δὲ τὸν ἐρώμενον. Hanc quoque scripturam Eust. p. 1500. 27 e rhetorico lexico affert, sed praestat ἀΐτης scribere, cui contrarium est εἰσπνήλης apud Lacedaemonios. Hinc noli intelligere Aristophanem poetam sed grammaticum.

Legitur p. 350. 1: ἀθρεῖν· τὸ περισκοπεῖν καὶ μετ' ἐπιτάσεως ὁρᾶν· παραδειγμάτων δὲ πάντα μεςά: ~ ἄθρους· ἢ ἀφ' ὧν συνηγμένους ὁμοῦ ἢ ἀθρόως· λέγεται δὲ καὶ ἄθρους καὶ ἀθρόους. Paulo rectius in Suida εἰς ἓν ἅπαντας συνηγμένους, tum in superiore glossa malim μετ' ἐπισάσεως. Vide nunc Eustath. p. 1387. 5: ἐν δὲ ῥητορικοῖς λεξικοῖς Φέρεται καὶ ταῦτα· ἐκ τοῦ ἀθρόος γίνεται ἄθρους· οἷον ἄθρους ἐπελθὼν ὁ ςρατηγός, ἤγουν σὺν ὅλῳ τῷ ςρατεύματι· καὶ Ἀριςοφάνης· ἐςῶτας ὥσπερ τοὺς ὀρεωκόμους ἄθρους.— δασύνεται δὲ Ἀττικῶς τὸ ἄθρους καθὰ καὶ τὸ ἀθρεῖν ὅ ἐςι περισκοπεῖν καὶ μετ' ἐπιτάσεως ὁρᾶν. Agnovit Aelium Dionysium Cobetus, Mnem. X. 70. Scribendumne sit ἀθρεῖν non ἀθρεῖν dubito; certe apud Homerum scribitur Odyss. τ. 478: ἡ δ' οὔτ' ἀθρῆσαι δύνατο, neque in ista re Atticistis multum tribuo, quibus solemne est λεπτολογεῖν. Sic ut hoc utar comminiscuntur nescio quod discrimen inter ἀλύειν et ἀλύειν, cf. Eust. p. 1636. 26. Neque veteris admodum est grammatici doctrina de scribendo ἀθρεῖν, sed Ptolemaei Ascalonitae, inspice Eustathium ipsum; ubi Aelius Dionysius hoc argumentum attingit, utitur idoneis argumentis; verbi causa eo ipso Eustathii loco docet ἅμαξα Atticum esse non ἄμαξα· probat allato καθημαξευμένως. Vide eundem de verbo ἀνύτειν p. 411. 28 Bekk.

Pausaniae doctrinam vide apud Eust. p. 823. 26: αἴγλη· οὐ μόνον ἡ λαμπηδὼν ἀλλὰ καὶ ποπάνου εἶδος κατὰ Παυσανίαν καὶ

θυσία τις πεμπομένη εἰς Δελφοὺς καὶ κυβευτικὸς βόλος. Plenius haec servata sunt a grammatico nostro p. 354. 15: αἴγλη· λαμπηδών, αὐγή (Suidas add. Κρατῖνος), φέγγος, φῶς. Καὶ ἡ θυσία δὲ (Suidas add. ὥς φησι Λεαγόρας) ἡ ὑπὲρ τοῦ κατακλυσμοῦ εἰς Δελφοὺς ἀπαγομένη αἴγλη ἐκαλεῖτο. καὶ ποπάνου τι εἶδος, ἐν ᾧ διεπλάσσετο εἴδωλα. καὶ βόλος Φαῦλος κυβευτικὸς αἴγλη ἐκαλεῖτο. ἀλλὰ καὶ ἡ σελήνη. καὶ τοῦ ζυγοῦ τὸ περίμεσον. καὶ παιδιά τις ἐκαλεῖτο αἴγλη. καὶ ὁ Ἀσκληπιός (Hes. Αἰγλάηρ Laconibus tribuit), καὶ χλιδὼν δέ τις οὕτως ἐκαλεῖτο (Hes. add. Σοφοκλῆς Τηρεῖ). ἔνιοι δέ φασιν σημαίνειν καὶ τὸν περιπόδιον κόσμον ἢ τὸν ἀμφιδέα ἢ ἁπλῶς ψελλίον. σημαίνει καὶ τὴν πέδην ἡ αἴγλη, ὡς παρ' Ἐπιχάρμῳ (Hes. add. ἐν Βάκχαις). Hoc maxime exemplo disce quantae divitiae nobis perierint; in tota Graecitate vix quidquam superest ad Pausaniae doctrinam scriptorum testimoniis illustrandam.

Aelium Dionysium Eustathius laudat p. 1851. 24: Αἴλιος δὲ Διονύσιος εἰπὼν καὶ αὐτὸς ὅτι αἱμασιὰ τὸ ἀπὸ χαλίκων τειχίον, ἐπάγει· ἣν τινες καὶ ἅρπεζον ὡς καὶ Ἴωνες· δηλοῖ δέ φησι τοῦτο καὶ Ἡρόδοτος. Intelligis igitur cui debeantur p. 356. 6: αἱμασιά· τὸ ἐκ χαλίκων ᾠκοδομημένον τειχίον· κυρίως δὲ τοῖς ἠκανθωμένοις λέγεται Φραγμοῖς ἣν τινες ἅρπεζον· καὶ οἱ Ἴωνες οὕτω χρῶνται· δηλοῖ δὲ Ἡρόδοτος ἐν τῇ πρώτῃ (c. 180)· Φαύλως δὲ οἱ πολλοὶ τὸ χωρίον αὐτὸ τὸ ὑπὸ αἱμασιῶν περιεχόμενον αἱμασιὰν καλοῦσιν. In media adnotatione aliquid turbatum est. Restituam: κυρίως δ' ἐπὶ τῶν ἠκανθωμένων λέγεται Φραγμῶν, quod Mehlerus conjecit, sed ipsa verba non praestiterim.

Legimus p. 363. 21: ἀκάμπιος δρόμος· ὁ μακρὸς καὶ δι' εὐθείας περίπατος. Ad verbum convenit Pausanias apud Eust. p. 1328. 20, quocum compone Photii glossam κάμπιος δρόμος.

Lacera est observatio Aelii Dionysii apud Eust. p. 1647. 58, sed quid dixerit satis apparet: φησὶ γοῦν Αἴλιος Διονύσιος ἀκέσριαν οὐκ ἠπήτριαν. Μένανδρος· ἐξακεῖσθαί μοι δοκῶ τὸ δίκτυον. καί· ἱμάτιον ἀκούμεθα· τὸ δὲ ἠπήσασθαι παντελῶς φησὶ βάρβαρον, ubi vitium deprehendisse mihi videor in Menandri fragmento, nam ἐξακέσεσθαι sine controversia verum est. Ex eodem Dionysio Photius habet: ἠπήτην· οὐδεὶς εἴρηκε τῶν Ἑλλήνων· οὐδὲ ἠπήτριαν ἀλλ' ἀκέσριαν et multis saeculis ante Photium indidem Phrynichus transtulit quae habet Ecl. p. 32, ubi narrat Ari-

stophanem aliquando in parodia dixisse κόσκινον ἠπήσασθαι. Accedit nunc e nostro lexico p. 364. 15: ἀκεσαί· οἱ τὰ ἱμάτια ἀκούμενοι· Ξενοφῶν· ὥσπερ ἱματίων ῥαγέντων εἰσί τινες ἀκεσαί. At in Cyropaedia I. 6. 16 hodie non ἀκεσαί legitur sed ἠπηταί, quae lectio optimorum librorum est; alii vel ῥαπταὶ vel ἀκεσαί in margine habent. Et ferri sane posset vocabulum Ionicum, sed Codicum dissensus facit ut verisimile sit Xenophontem usurpasse vocabulum, quod Atticistarum testimonio novimus Graeculis incognitum fuisse, qui ἠπήσασθαι dicebant et ἠπήτης et ἠπήτρια pro Atticis et genuinis ἀκέσασθαι, ἀκεσής et ἀκέσρια. Sed haud minimi momenti est quod nunc certo argumento evincitur, tempore Aelii Dionysii h. e. aliquot saeculis antequam antiquissimus qui hodie exstat Xenophontis Codex exaratus fuit, vulgatam lectionem fuisse ἀκεσαί. Ad nullam rem Atticistae utiliores sunt quam ad eiusmodi menda deprehendenda.

Habemus p. 371. 7: ἀκέανοι· τὰ ἐν τοῖς Φακοῖς σρογγύλα καὶ δυσκάτακτα ὄσπρια. Convenit Aelius Dionysius apud Eust. p. 1528. 44 addens Pherecratis fragmentum: κυάμους Φακῆν (Meinekius ἀΦάκην) ζειὰς αἵρας ἀκεάνους. Agnosco metrum anapaesticum et locum libenter composuerim cum Eustath. p. 801. 56:

νῦν δ' ἐπιχεῖσθαι τὰς κριθὰς δεῖ πτίσσειν Φρύγειν ἀναβράττειν
αἶνειν ἀλέσαι μάξαι (πέψαι) τὸ τελευταῖον παραθεῖναι.

et Anecd. Bekk. p. 373. 25:

καὶ τὰς βαλάνους καὶ τὰς ἀκύλους καὶ τὰς ἀχράδας περιόντας.

Sed e qua fabula hi loci excerpti sint mihi non liquet.

Duplex est glossa p. 377. 11: ἀλιτήριοι· ἁμαρτωλοί· ἀλιτήριοι δὲ ἐντεῦθεν ἐκαλοῦντο· λιμὸς κατέλαβέ ποτε τοὺς Ἀθηναίους· ἥρπαζον οὖν τινὲς ἀλούμενα τὰ ἄλευρα· ἀπὸ γοῦν ἐκείνων τοὺς πονηροὺς ἀλιτηρίους ἐκάλουν. — Καὶ ἄλλως· ἀλιτήριος δὲ λέγεται ὅτι λιμὸς ἐγένετο ἐν Ἀθήναις καὶ οἱ πένητες τὰ τῶν ἀλούντων ἄλευρα διήρπαζον· ἐλέχθησαν οὖν οἱ τοὺς ἀλοῦντας τηροῦντες καὶ ἁρπάζοντες ἀλιτήριοι· παρέτεινε δὲ τὸ ὄνομα καὶ ἐπὶ τῶν μετὰ βίας τι ποιούντων ἀπὸ τῆς σιτοδείας τῆς κατὰ τὸν Αἰτωλικὸν πόλεμον γενομένης· ἐσὶ δὲ καὶ παράγωγος ἀπὸ τοῦ ἁλιτραίνειν ὅ ἐσιν ἁμαρτάνειν. Prior pars e Pausania excerpta est, altera ex Aelio Dionysio, quod nunc quidem constat non fide Eustathii sed Boethi, cui sua debet Schol. Plat. Rep. V. 470 D.: κατὰ

τὸν Διονύσιον τὸν Ἁλικαρνασσέα λιμοῦ γενομένου Ἀθήνησιν οἱ πένητες προφερόμενα ἄλευρα διήρπαζον· ἐλέχθησαν οὖν οἱ τοὺς ἁλοῦντας ἐπιτηροῦντες ἁλιτήριοι· διέτεινε δὲ τὸ ὄνομα ὥςε καὶ ἐπὶ πάντων τῶν μετὰ βίας τι ποιούντων ἢ ἁμαρτανόντων λέγεσθαι. Bonum factum quod observationes Dionysii aliquanto utiliores esse solent. Quid attinet dicere etymologiam ineptam esse? Hoc unum haud abs re erit observasse, ubi in nostro lexico Pausaniae et Aelii Dionysii fragmenta conjungantur, illum primum laudari solere, hunc sequi. Vide v. c. p. 322. 12 in v. ἄβρα.

Statim habes exemplum p. 377. 26 in duplici glossa Ἀλκυονίδες ἡμέραι, cuius prior pars quam Suidas quoque habet, Pausaniae est ut constat ex Eustath. p. 776. 33, alteram suspicari licet Aelii Dionysii esse. Sic igitur noster grammaticus secundum Pausaniam: Ἀλκυονίδες ἡμέραι· περὶ τοῦ ἀριθμοῦ διαφέρονται. Σιμωνίδης γὰρ ἐν Πεντάθλοις ἕνδεκά φησιν αὐτάς (lege τέσσαρας καὶ δέκα, ιδ΄ pro ια΄ cf. Aristotelem) καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς περὶ ζώων (V. 8. 2 qui Simonidis locum affert). Δημαγόρας δὲ ὁ Σάμιος ἑπτά, Φιλόχορος ἐννέα· τὸν δ' ἐπ' αὐταῖς μῦθον Ἀγήσανδρος ἐν τοῖς περὶ ὑπομνήματι (lege ἐν τῷ περὶ ἀνδριάντων καὶ ἀγαλμάτων ὑπομνήματι, cf. Athen. V. 210 B.: eadem lacuna in Suida) λέγει οὕτως· Ἀλκυονέως τοῦ γίγαντος θυγατέρες ἦσαν Φθονία, Χθονία (absurde Suidas Φωσθονία. Eust. om. Χθονία. Equidem Φθονία expunxerim), Ἄνθη, Μεθώνη, Ἀλκίππα, Παλλήνη, Δριμώ, Ἀςερίη· αὗται γὰρ μετὰ τὴν πατρὸς τελευτὴν ἀπὸ Καναςραίου ὅ ἐςιν ἄκρον τῆς Παλλήνης, ἔρριψαν αὐτὰς εἰς τὴν θάλασσαν. Ἀμφιτρίτη δ' αὐτὰς ὄρνιθας ἐποίησε καὶ ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἁλκυόνες ἐκλήθησαν· αἱ δὲ νήνεμοι καὶ γαλήνην ἔχουσαι ἡμέραι ἁλκυονίδες καλοῦνται. Sequitur explicatio Aelii Dionysii: Καὶ ἄλλως· ὅτι ἁλκυών ἐςιν εἶδος ὀρνέου ἐν ἁλὶ κύον τουτέςιν ἐν θαλάσσῃ, ὅθεν καὶ ἁλκυὼν ἐκλήθη· Φασὶ δὲ ὅτι κύματος ἀεὶ ἀφανίζοντος αὐτῆς τὰ ὠὰ καὶ ἐπὶ πολὺ οὔσης ἀτέκνου, ὁ Ζεὺς ἐλεήσας αὐτὴν ὥρισεν ἡμέρας τινὰς εὐδιεινάς, ἃς καὶ καλοῦσιν ἁλκυονίδας.

Suidas v. ἁλύειν exponit τὸ ἐν ἄλῃ δυσφορεῖν quod e Pausania excerptum est. Quod sequitur Aelii Dionysii est, sed emendatius legitur apud Bekk. p. 380. 20: ἁλύειν· ἔνιοι τὸ μὲν ἐπαίρεσθαι καὶ χαίρειν δασέως ἀξιοῦσι προφέρεσθαι. Ὅμηρος·

ἦ ῥ' ἀλύεις ὅτι Ἶρον ἐνίκησας τὸν ἀλήτην;
τὸ δὲ λυπεῖσθαι ψιλῶς οἷον·

ὣς ἔφαθ' · ἡ δ' ἀλύουσ' ἀπεβήσετο,

ὡς ϛερητικὸν ἔχον τὸ α. Δίδυμος δὲ ἀμφότερα δασέως· καὶ γὰρ τὸ ἀλεαίνεσθαι δασύνουσιν οἱ Ἀττικοὶ καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, ἁμὶς, ἅμαξα, ἁμνός, Ἁλαεῖς, ἀλύειν· ἄλλοι δὲ τὸ ἀλύειν ἐπὶ τοῦ χαίρειν δασύνουσιν, ἴσως ἀπὸ τοῦ ἁλλομένου ὅπερ δασύνεται. Fere ad verbum cum his convenit Eustathius p. 1636. 26 et addit τὸ ἁλυσθαίνειν· τὸ ἀδυνατεῖν καὶ ἁλυκτεῖν· τὸ δυσφορεῖν, quae recurrunt apud Nostrum p. 385. 13, 31. Tum addit in fine quae supra e Suida protuli: Παυσανίας δὲ ἀλύειν λέγει τὸ ἐν ἄλῃ καὶ παρέσει τὴν ψυχὴν ἔχειν, cf. M. Schmidt. Didym. p. 103. Vides quod supra dixi Atticistas inane discrimen fingere inter ἀλύειν, et ἁλύειν, quod numquam fuit. Semper et ubique ἀλύειν dicitur is qui prae timore, gaudio, quacumque de causa, sui non compos est, effertur, non satis scit quid agat vel loquatur.

Legitur p. 385. 9 ἁλοιμός· τὸ τῶν τοίχων χρίσμα, quod vocabulum enotatur e Sophoclis Acrisio ab Hesychio et Oro in Etym. M. p. 69. 41. Grammaticus invenit in rhetoricis lexicis, cf. Eust. p. 764. 14, ubi praeterea explicabatur ἁλοιφεῖον.

Quod legitur p. 389. 15: ἀμφίταποι· τάπητες ἀμφίμαλλοι e Pausania est, sponsore Eust. p. 746. 39: Αἴλιος Διονύσιος ἀμφιτάπητάς φησι τοὺς μὴ ἑτερομάλλους ἀλλ' ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν δασεῖς· καὶ Παυσανίας δὲ λέγει ὅτι ἀμφιτάπητες οἱ ἀμφίμαλλοι, οἱ δὲ ἑτερόμαλλοι τάπητες. E Pausania quoque est glossa ψιλοδάπιδες apud Photium, cf. Eust. p. 1645. 24. Formam ἀμφιτάπης tuetur metrum in Diphili loco apud Poll. X. 38.

Pag. 413. 32: Ἄορνος· λίμνη (Cod. λιμήν) περὶ Τυρσηνίαν· φασὶ δὲ καὶ ἐν Κύμῃ τῇ Χαλκιδικῇ Ἄορνον λίμνην εἶναι, περιπεφυκότων δὲ πολλῶν δένδρων μηδὲν εἰς αὐτὴν ἐμπίπτειν τῶν ἀποπιπτόντων φύλλων· εἶναι δὲ καὶ νεκυομαντεῖον ἐν τῇ Τυρσηνίᾳ λίμνῃ Σοφοκλῆς ἱστορεῖ. Idem in rhetorico lexico invenit Eust. p. 1666. 64. Sophocles Campaniam vocasse videtur Τυρσηνίαν· unus certe lacus Avernus est.

Conveniunt Suidas et Grammaticus Bekk. p. 416. 11: Ἄπαν· οἱ μὲν Ἴωνες συξέλλουσι καὶ οἱ ποιηταί, οἷον (Iliad. υ. 156)·

τῶν δ' ἄπαν ἐπλήσθη πεδίον.

καὶ οἱ Ἀττικοὶ ἐκτείνουσι τὴν ὑσέραν· καὶ τὸ παράπαν ὁμοίως καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα. Convenit quoque Eustathius p. 1434. 1 ad Odyss. β. 49: τὸ ἅπαν ὄνομα Ἴωνες συσέλλουσι καὶ ὁ ποιητής, οἷον·

τῶν δ' ἅπαν ἐπλήσθη πεδίον.

Ἀττικοὶ δὲ κατ' Αἴλιον Διονύσιον ἐκτείνουσι τὴν ὑσέραν τοῦ ἅπαν. Ex hoc loco intelligitur recte correxisse Bentleium Arist. Acharn. 998:

καὶ περὶ τὸ χωρίον ἅπαν ἐλᾷδας κύκλῳ.

Sed exempla ad confirmandam Aelii Dionysii opinionem, multo pauciora supersunt quam quis putaverit.

Sequitur p. 420. 22 glossa in qua critici ingenium ostendere poterunt; mihi non contigit tam felicem esse ut sani aliquid extunderem: Ἀπεγλαψάμην· ἀπεπνευσάμην, ἐκενωσάμην· ἔσι δὲ γλάψαι καὶ τὸ κοιλᾶναι καὶ βαθῦναι, ἀλλὰ καὶ τὸ λίαν καὶ διὰ βάθους. E Pausania hoc excerptum esse docet Eust. p. 1504. 19: γλάφειν· καὶ ὅτι ἐπὶ λογικῆς τινὸς γραφῆς ἐσὶν ὅτε τίθεται, ὡς δηλοῖ παρὰ Παυσανίᾳ τό·

τὸν ἄνδρ' ἀπεωσάμην τε κἀπεγλαψάμην.

οἱονεὶ ἀπέξεσα καὶ ἀπήλειψα ὡς ἀπὸ βιβλίου. Facile est in his aliquid ludere, sed nihil proficitur.

Certior res est p. 424. 24: ἀπηδέσθη· ἀπεβρώθη. Nempe respicitur Plato Comicus, cuius locum vide apud Eust. p. 1403. 33: Παυσανίας παράγει καὶ χρήσεις τοιαύτας· Πλάτων Σοφισαῖς· Ἐν τρισὶν Πληγαῖς ἀπηδέσθη τὸ ῥάμφος. Καὶ ἐν Ἑορταῖς· κατηδέσθημεν ἂν καὶ κατεκόπημεν εὐθύς. Recte monuit Cobetus Plat. Com. p. 191 a Platone bestias induci loquentes.

Sine sensu editur p. 431. 26: ἀπόμακτρα· ἀπόμακτρα σκυτάλων ἀπεσκοτημένα δ' ἐσκιοτροφημένα. Collato Suida v. ἀπεσκοτωμένα et ἐσκιοτροφημένα, Dindorfius rectissime ostendit veram scripturam ἀπόμακτρα· σκύταλα· ἀπεσκοτωμένα δ' ἐσκιαγραφημένα. Scilicet Aristophanes dixit ἀπόμακτρ' ἀπεσκοτωμένα. Fluxit autem ea adnotatio e Pausania, cf. Eustath. p. 953. 52: σημείωσαι δὲ ὅτι κατὰ Παυσανίαν καὶ τὰς χρίσεις σκότῃ ἐκάλουν οἱ ζωγράφοι, ὅθεν ἀπεσκοτωμένα φησὶ τὰ ἐζωγραφημένα καὶ κεχρωσμένα ἐλέγετο.

Statim sequitur: ἀπομαγδαλιὰ καὶ ἀπομάγδαλις· ψωμὸς εἰς ὃν ἐκμασσόμενοι τὰς χεῖρας μετὰ τὸ δεῖπνον ἐρρίπτουν τοῖς κυσίν:

Ἀπομάγματα· τὰ ἀποκαθάρματα καὶ ἀπόμακτρα τὰ αὐτά (Cod. ἀπομάκται). In his primum nota formam ἀπομάγδαλις aliunde ignotam, quam ex errore ortam crediderim. Iam compone Eust. p. 1857. 15: ἀπομάγματα καὶ ἀπόμακτρα· τὰ ἀποκαθάρματα καὶ μαγδαλιὰ παρὰ τῷ κωμικῷ (vult Aristoph. Eq. 415 ubi nunc legitur ἀπομαγδαλιὰς σιτούμενος), παρὰ δ' ἄλλοις καὶ ἀπομαγδαλιὰ καὶ ἀπομάγδαλις ψωμὸς εἰς ὃν ἐκματτόμενοι τὰς χεῖρας μετὰ δεῖπνον ἐρρίπτουν κυσίν. Παυσανίας δέ φησιν ὅτι ἀπομαγδαλιὰ ςαῖς ὃ ἔφερον ἐπὶ τὸ δεῖπνον εἰς ὃ τὰς χεῖρας ἐκματτόμενοι εἶτα κυσὶν ἔβαλλον Ex hoc loco non difficile est ad conjiciendum grammaticum nostrum utramque adnotationem Aelio Dionysio debere. Quod Pausanias similia tradit, nihil mirum est, nam maxima erat utriusque lexici convenientia. Hoc quoque notabis admodum veterem esse apud Aristophanem lectionem ἀπὸ μαγδαλιᾶς, cui primus Henricus Stephanus substituit ἀπομαγδαλιάς.

Aliud habemus Pausaniae fragmentum p. 1167. 19: ὁ δὲ Παυσανίας λέγει καὶ ὅτι ὀρχήσεως εἶδος καὶ ὁ ξιφισμὸς καὶ σχῆμα ἐμμελείας, ὅθεν ἀποξιφίσασθαι τὸ ἐξορχήσασθαι, ὥσπερ καὶ ἀποφοιτᾶν παρὰ Λυσίᾳ τὸ παύσασθαι φοιτῶνται ὅ ἐςι μανθάνονται. In his quamquam aliquid turbatum esse suspicor, hoc tamen video componendum esse p. 432. 32: ἀποξιφίσασθαι· ἀπορχήσασθαι· ὁ γὰρ ξιφισμὸς εἶδος ὀρχήσεως et Phot. v. ξιφισμός. Hesychio ἀποξιφίσαι est ὀρχεῖσθαί ποιαν ὄρχησιν, sed Pausaniam explicuisse παύσασθαι ὀρχούμενον apparet ex verbo ἀποφοιτᾶν quod grammaticus noster ex eodem, ut opinor, Pausania interpretatur p. 439. 8 ἀποπηδᾶν ἀναχωρεῖν et p. 433. 5: ἀποπεφοίτηκεν· ἀπῆλθεν. Haud inepte conjicias Pausaniam illud ipsum ἀποπεφοίτηκεν apud Lysiam offendisse. Verum Atticista aut erravit aut non intellectus fuit ab eo qui eum descripsit, vide modo p. 427. 20: ἀποδακρύσας· οὐ σημαίνει τὸ δακρῦσαι ἀλλὰ τὸ παύσασθαι δακρύοντα ὡς τὸ ἀπολοφύρεσθαι καὶ τὰ ὅμοια.

Legitur p. 434. 22 ἀποσιμῶσαι· τὸ ἐπικύψαι καὶ τὴν πυγὴν προθεῖναι (Meinekius προτεῖναι) γυμνήν. (Suidas add. Φίλιππος, comicus ut videtur)· Θουκυδίδης δὲ (IV. 25) τὸ μετεωρίσαι τὰς ναῦς. Convenit Eust. p. 965. 45: κεῖται δὲ τὸ ἀποσιμοῦσθαι παρὰ τοῖς παλαιοῖς, παρ' οἷς οὐ μόνον ἀπεσίμωσε τὸ ὕψωσε καὶ

πρὸς τὸ λαμπρότατον ἤγαγε κατὰ Παυσανίαν, ἀλλὰ καὶ ἀποσιμῶσαι τὸ μετεωρίσαι ναῦς παρὰ Θουκυδίδῃ. Eodem modo Thucydidem interpretatur Scholiasta, qui hic illic Pausaniam inspexit, cf. ad Phot. v. Ἑρμοκοπίδαι. Hoc quoque intelligis in nequitiae palaestra ἀποσεσιμωμένον dictum fuisse quem vulgo λορδόν· confirmabit Suidas.

Breviter Eustathius p. 952. 10: . . . . ἀπὸ ῥητορικοῦ λεξικοῦ ἐν ᾧ κεῖται καὶ ὅτι ἀποσκολύπτειν τὸ ἀφαιρεῖν τὸ δέρμα, ὅθεν καὶ τὸ σκυλεύειν μεταφορικῶς. Bis de hoc verbo Noster agit p. 423. 1: ἀπεσκόλυπτε· κυρίως τὸ δέρμα ἀφῄρει, ἤδη δὲ καὶ τὸ ἐγύμνου et p. 435. 24: ἀποσκολύψαι· ἀφελεῖν τὸ δέρμα ἢ ἀπογυμνῶσαι. Σοφοκλῆς δὲ τὸ ἀπεκόλουε ἐν Μελεάγρῳ. Ex Hesychio apparet Sophoclem dixisse ἀπεσκόλυπτε, sed non in Meleagro quae Sophoclis fabula numquam fuit, sed Μώμῳ, e qua Hesychius praeterea laudat ἀναςῦψαι· ἐπᾶραι τὸ αἰδοῖον, ut intelligas quibus iocis poeta in hac fabula indulserit.

Sine controversia e Pausania est p. 438. 17: ἀποτυχίσαι· ἀποπελεκῆσαι· καὶ ἀποτυχισθείς· ἀποτιλθείς· ἢ ἀποπελεκηθείς. Rectior scriptura est ἀποτυκίσαι, sed quid Pausanias dederit, etiamnunc apparet ex Eust. p. 967. 20: ὁ μέντοι παρὰ τῷ Παυσανίᾳ διὰ τοῦ χ τύχος, ὡς ἐκεῖνός φησι, λιθοξοϊκόν ἐςι σιδήριον, ἀφ' οὗ ἀποτυχίσαι λίθον τὸ ἀποπελεκῆσαι. Pausanias autem e Diogeniano hausit, quod Hesychius collatus docebit.

Prorsus idem valet de glossa ἀρδάνιον p. 441. 30, quae ita exponitur: κεραμίου (Cod. κεράμιον) γάςρα ὅθεν τὰ θρέμματα πίνουσι· καὶ εἴρηται παρὰ τὸ ἄρδειν· ἐτίθετο δὲ καὶ πρὸ τῆς θύρας τῶν τετελευτηκότων τοῖς εἰσιοῦσι καὶ ἐξιοῦσιν ἵνα περιρραίνωνται· ἐχρῶντο δὲ καὶ αἱ γυναῖκες τῷ ἀρδανίῳ αἱ τὴν κρόκην τρίβουσαι ἐπ' αὐτοῦ. Hanc Pausaniae doctrinam in brevius contraxit Eust. p. 707. 32: Παυσανίας δέ φησιν ὅτι ἀρδάνια κεραμίων γάςραι ἀπὸ τοῦ ἄρδειν τὰ βοσκήματα· προετίθεντο δέ φησι τῶν θυρῶν. Pausanias autem describit Diogenianum, cuius locus ab Hesychio servatus est, ita emaculatus ab M. Schmidtio: ἀρδάνια· αἱ τῶν κεραμίων γάςραι ἐν αἷς τὰ βοσκήματα ἐπότιζον· ἃ Δωριεῖς κύμβαλα καλοῦσι· ταῦτα δὲ πρὸ τῆς αὐλείου θύρας ἐτίθεσαν ὕδατος πλήρη πρὸς ἀφαγνισμόν, ἵνα, ὁπότε τις τελευτήσειεν, οἱ ἐξιόντες περιρραίνωνται. Recte vidit Schmidtius haec fluxisse e lexico tragico, quod sequitur Schol. Eur. Alcest.

p. 276 Cobet. Non multum abludunt Aelius Dionysius ap. Eust. ll. et Photius in vitiosa voce ὀρδάνιον.

Brevis est adnotatio p. 443. 32: ἀρεσήρ· εἶδος ποπάνου. Hoc fortasse ex Aelio Dionysio est, cf. Eust. p. 1178. 52. Lex. Rhet. Bekk. 215. 29. Phot. v. σελήνη.

Memorabilis est adnotatio p. 445. 14: ἄρκτον· ἄρκτον οὐχὶ ἄρκον. Ὀδυσσεὺς ἐν ἀρισέρ' ἀεὶ τὴν ἄρκτον ἔχων λάμπουσαν ἕως ἀνευφερής· τὸν μέντοι ἄνεμον ἄνευ τοῦ τ ὡς ἡμεῖς ἀπαρκίαν διὰ τὸ εὔφωνον· καὶ τὴν πνοὴν ἄρκιον·

καὶ μὴν πελάζει καὶ καταψύχει πνοή
ἄρκιος.

Ipsa forma prodit Aelium Dionysium auctorem et similia e rhetorico lexico profert Eustath. p. 1535. 14, quae partim pleniora leguntur p. 1156. 18. Primum scribe ducibus Meinekio et Cobeto Mnem. X. 75: ἄρκτον οὐχὶ ἄρκον (λέγουσι. Κρατῖνος) Ὀδυσσεῦσι·

ἐπαρίσερ' ἀεὶ τὴν ἄρκτον ἔχων λάμπουσαν ἕως ἂν ἐφεύρῃς.

Apparet igitur Hadriani tempore vulgus dixisse ἄρκος non ἄρκτος. Sequitur: τὸν ἄνεμον μέντοι ἄνευ τοῦ τ ὡς ἡμεῖς ἀπαρκίαν διὰ τὸ εὔφωνον, improbante Phryn. Bekk. 19. 22, qui analogiam sequitur et scribit ἀπαρκτίας. Aeschyli fragmentum est quod in extrema adnotatione legitur; acute hoc perspexit Bergkius, coll. Hes. v. ἀσκεύοις et Eust. p. 1156. 18 ubi locus sic legitur:

καὶ μὴν πελάζει καὶ καταψύχει πνοή
ἄρκειος ὡς ναύτῃσιν ἀσκεύοις μολών.

Plurima sunt in sequentibus quae manifesto e rhetoricis lexicis excerpta sunt et hoc p. 446. 10: ἁρπαγή· ὀξυτόνως ἡ ἁρπαγή· τὸ δὲ σκεῦος βαρυτόνως ἵν' ᾖ ὄνομα. Confer Dionysii fragmentum de nominum generibus apud Eustath. p. 1390. 50, quod multis indiciis constat olim haud parum plenius et doctius conscriptum fuisse, ita ut singulorum nominum auctoritates subjicerentur. Sed haec omnia nobis tantum non sine vestigio perierunt.

Non minus nota est Aelii Dionysii disputatio de barbaris vocabulis, olim a Graecis receptis; de hoc fragmento nuper diligenter egit Cobetus, sed operae pretium est excitare p. 446. 26: ἀρράβακα· τὴν ὀρχησρίδα ἢ καὶ τὸν ὀρχησὴν ἢ καὶ βλάσφημον, ἀπὸ τοῦ ἀρραβάσσειν ὅ ἐσιν ὀρχεῖσθαι. Convenit Eustathius p. 1854. 35: ἀρράβακα ἐθνικὸν ὅ ἐσι κατὰ τοὺς παλαιοὺς ὀρχησὴς

ἢ βλάσφημος. Παυσανίας δὲ καὶ ἐτυμολογίαν αὐτοῦ παραδιδοὺς γενέσθαι φησὶ ἀπὸ τοῦ ἀρραβάσσειν ὅ ἐσιν ὀρχεῖσθαι. Vides Dionysium et Pausaniam ut saepe consentire; habebant autem auctorem Diogenianum, quod Hesychius monstrabit. Uterque addiderat formam ῥαβάττειν· hinc duplex glossa est apud Photium.

Pag. 446. 30 ἄρριχοι· κόφινοι οἰσύϊνοι οὓς ἀρσενικῶς (Cod. ἀρσίκους sed vide Eust.) οἱ Ἴωνες, θηλυκῶς δὲ οἱ Ἀττικοὶ τὰς ἀρρίχους φασίν. Etiamne dubitabis Aelio Dionysio reddere? Accedit Eustathii auctoritas qui p. 1533. 57 eadem nominatim e Dionysio affert. Tum adscribit Pausaniae locum quem iam antea attulerat p. 1163. 49, sed hic in nostro lexico deest.

Pag. 447. 4 ἀρτάβη· μέτρον ἐσὶ Περσικόν· οὕτως Ἡρόδοτος (I. 192). Hoc quoque inter peregrina vocabula recenset Eust. p. 1854. 14, e Dionysio ut videtur.

Collato Eust. p. 1390. 50 denuo agnosco Dionysium p. 450. 32: ἄσβολος· θηλυκῶς ἡ ἄσβολος, οὐδὲ γὰρ ἀρσενικῶς ὁ ἄσβολος. Ἀριστοφάνης ἐν Θεσμοφοριαζούσαις (245)·

τὰ πλεῖσα γὰρ
ἀποπεπόνηκας.: φεῦ ἰοὺ τῆς ἀσβόλου.

E Dionysio Phrynichus in Ecloga p. 44 et apud Bekk. 17. 23: ἄσβολος θηλυκῶς λέγουσιν, Ἱππῶναξ δὲ ἀρσενικῶς· τινὲς δὲ καὶ τὴν ἀσβόλην.

Tragica locutio est p. 453. 18: ἀσπάθητον χλαῖναν· ἀνύφαντον. Sic pellem vocaverat Sophocles sec. Polluc. VII. 36. Grammaticus autem noster glossam a Pausania accepit, cf. Eust. p. 787. 8.

Docta est adnotatio p. 454. 22: ἀσράγαλος· κυρίως τὸ συνήθως λεγόμενον· καὶ ὁ σφόνδυλος τοῦ τραχήλου· καὶ ὁ πεττικός· καὶ βοτάνη δὲ οὕτω καλεῖται· ἀσραγάλους δὲ οἱ Ἀττικοὶ, τὸ γὰρ θηλυκὸν Ἰακόν· καὶ παρ' Ὁμήρῳ τινὲς θηλυκῶς, οἷον·

νήπιος οὐκ ἐθέλων ἀμφ' ἀσραγάλοισι χολωθείς.

Φερεκράτης Δουλοδιδασκάλῳ·

— ἀντ' ἀσραγάλων κονδύλοισι παίζετε.

Πλάτων Λύσιδι (206 E)· ἡρτίαζον ἀσραγάλοις παμπόλλοις. Λέγουσι δὲ καὶ ἀσρίχους. Ἀντιφάνης Ἐπιδαυρίῳ·

ἐπαίζομεν μὲν ἀρτίως τοῖς ἀσρίχοις.

Videntur igitur fuisse qui apud Homerum ἀσραγάλῃσι legerent. Omne hoc autem sumtum est e lexico rhetorico, e quo

Eustath. p. 1289. 50: *ἐστὶν Ἰωνικὸν ἡ ἀσραγάλη, ὡς καὶ ἐν ῥητορικῷ εὕρηται λεξικῷ, ἐν ᾧ καὶ ὅτι τοὺς ἀσραγάλους καὶ ἀσρίχους λέγουσιν.* Multa de hoc argumento sine iudicio congessit Eust. p. 1397, quorum postrema Boethus quoque habuit, cf. Schol. Plat. Lys. 206 E. In Antiphanis versu mendum subest; probo:

ἐπαίζομεν μὲν ἀρτίοις τοῖς ἀσρίχοις.

Recurrit peregrinum vocabulum p. 455. 51: *ἀσάνδης· γραμματοφόρος. Περσικὸν τὸ ὄνομα*, scilicet ex Aelio Dionysio, cf. Eust. p. 1854. 28.

Notabilis est quam saepius iam tetigimus Eustathii disputatio de vocabulis *πρόξενος, ἀσόξενος, ἰδιόξενος, δορύξενος* p. 405. 36. Ibi Eustathius laudatis Dionysii et Pausaniae locis pergit: *ἕτεροι δὲ οὕτως· ἀσόξενοι· οἱ γένει μὲν ἐξ ἀρχῆς προσήκοντες, ἐπὶ δ' ἀλλοδαπῆς γεγονότες.* Imprimis mirum accidit grammaticum Bekk. p. 456. 5 in v. *ἀσόξενοι* non convenire cum altero utro rhetore, sed cum istis *aliis*, quos Eustathius consuluit. Cf. Hes.

Nunc videamus de pag. 457. 21: *ἀσχέδωρος· παρ' Αἰσχύλῳ ὁ ἐκ τῆς ἰδίας ἀλκῆς ἄσχετα δωρούμενος οἷον βίαιος· Ἰταλιῶται τὸν σύαγρον ἀσχέδωρον καλοῦσιν.* De hoc vocabulo Siculo haec Eustathius p. 1872. 4 secundum lexicon rhetoricum: *ἀσχέδωρος· ὁ σύαγρος παρ' Ἰταλιώταις· ἠγνόησαν δέ φησιν οἱ ἀποδόντες τὸν ἄσχετα δωρούμενον.* Tum quaedam sequuntur quae descripsit ex Athen. IX. 402 B. Mira sane est interpretatio eorum, qui nescirent quid esset *ἀσχέδωρος*. Athenaeus affert Aeschyli versiculum qui *παρεικάζων τὸν Περσέα ἀγρίῳ συΐ, φησίν·*

ἔδυ δ' ἐς ἄντρον ἀσχέδωρος ὥς.

Praeterea servavit illa Scleriae Tarentini:

ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ νέμειν βοτὰ
οὔτ' ἀσχέδωρος νεμόμενος καπρώζεται.

Rides fuisse qui apud Aeschylum interpretarentur *τὸν ἄσχετα δωρούμενον*, donec aliquis inventus est me iudice multo antiquior Dionysio et Pausania et Diogeniano et Athenaeo atque ipso adeo Pamphilo, qui Scleriae locum admovit. Recte Athenaeus addit: *ὅτι δὲ Αἰσχύλος διατρίψας ἐν Σικελίᾳ πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελικαῖς οὐδὲν θαυμασόν.* Hoc ei non magis vitio vertam quam si quando Xenophon *παρανομεῖ εἰς τὴν πατρίαν διάλεκτον, κατὰ τὸν Φρύνιχον*, sed ea lege ut hoc fecerit *πολὺν χρόνον διατρίψας ἐν Σικελίᾳ*, quae verba apud Athenaeum

excidisse videntur. Diligenter de hac re videndum est ecquid veri habeat, nam qui de Aeschyli vita scripserunt, statuunt poetam haud ita diu in Sicilia fuisse; equidem nil definio.

Parva est adnotatiuncula p. 458. 96: *ἀτελῆ· ἀδάπανα, ὡς καὶ πολυτελῆ τὰ πολυδάπανα*, quae Pausaniae est, cf. Eustath. p. 881. 25, qui multa refert de significatione verbi *τέλος* ex utroque Atticista, quorum partem vide apud Photium v. *τέλος, τέλεον, προτέλεια.*

Quod Eustathius habet p. 1817. 44: *τὰ παρὰ τῷ Παυσανίᾳ ψώθια ἅπερ ὑπερόπτων ἄρτων ἐςὶ θραύσματα ἢ τὰ ὑποκάτω τοῦ ἄρτου· τὰ δὲ τοιαῦτα ψώθια καὶ ἀτταράγους ἐκάλουν τινές.* Non dubitabis Pausaniam hoc legisse apud Diogenianum, si contuleris quae Athenaeus p. 646 C. e Pamphilo transscripsit, qui ipse sequebatur Apollodorum et Theodorum. E Pausania autem est apud Photium *ψώθια* et apud grammaticum Bekk. p. 461. 25: *ἀττάραγοι· οἱ ψίχες ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν καλοῦνται.*

Pag. 1417. 18 Eustathius e Pausania laudat *ἀφάδιον· τὸ ἐχθρὸν καὶ ἀπαρέσκον.* Compone Bekk. p. 468. 28: *ἀφαδία· ἡ ἔχθρα*, sed non multum proficies. Lux oboritur coll. Etym. M. p. 174. 52: *Ἀφαδός· ἐχθρός· παρὰ τὸ ἀφανδάνειν· καὶ ἀφαδία· ἡ ἀπαρέσκουσα ἔχθρα. Εὔπολις ἐν Ἀνδρογύνοις· Δοκῶ μοι νῦν ὁρᾶν ἀφαδίαν.* Quid autem hoc monstri est? inquis. Scilicet conferendus est Hesychius: *ἀφαδίαν· τὴν πολεμικὴν ναῦν διὰ τὸ ἀφανδάνειν*, et tacente Meinekio improbante M. Schmidtio, tamen cum Salmasio et Kustero fortasse scribes: *Δοκῶ μοι ναῦν ὁρᾶν ἀφαδίαν.*

Emendandum est quod legitur p. 470. 13: *ἀφεψιαίμην· ἀφωμίλησα· οὕτω Σοφοκλῆς.* Scilicet Eustathius p. 1831. 2 in rhetorico lexico invenit *ἀφεψιασάμην.* Sophocles hoc usurpavit *Ἀντηνορίδαις* teste Hesychio.

Memorabilis est adnotatio p. 471. 19: *ἄφλασα· τὰ ἀκροσόλια, Ἀπολλόδωρος. ὁ δὲ Δίδυμος τὸ ἐπὶ τῆς πρύμνης εἰς ὕψος ἐκ κανονίων πλατέων ἐπικεκαμμένον.* Est hoc manifesto e Diogeniano qui in excerpendo aliquoties pepercit Apollodori nomini, quem Pamphilus saepe laudarat. Habet autem noster grammaticus e Pausania, cuius locum vide apud Eust. p. 1039. 37: *ἄφλασον δέ φασι οὐχὶ τὸ ἀκροσόλιον, διαφέρουσι γὰρ αἱ λέξεις, ἀλλὰ κατὰ Δίδυμον, ὥς φησι Παυσανίας, τὸ ἐπὶ πρύμνης ἀνατεταμένον εἰς*

ὕψος ἐκ κανονίων πλατέων ἐπικεκαμμένον, διήκοντος δὲ δι' αὐτῶν πλατέος κανονίου, ὑπηρεισμένου τούτῳ ξυλίσκου ὄπισθεν τοῦ κυβερνητου· κρεμάννυται δ' ἐκ τῶν κανονίων καὶ τοῦ θρανίου ταινία εἰς παράσημον δηλαδὴ τῆς νεώς. Haec paulo festinantius inspexisse videtur M. Schmidtius, nam non animadvertit in proxime sequentibus secundum Didymum explicari ἀκροσόλιον, neque recte accepisse videtur verba ὡς δηλοῦται καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ, quae non Pausaniae sunt sed ipsius Eustathii, qui hoc tantum voluit θλᾶσθαι Attice φλᾶσθαι dici, recordatus Arist. Nub. 1379, cf. Phot. v. ἔφλα. Vide Schm. Didym. p. 79 et 181. Ad rem cf. quae Ruhnkenii discipulus diligenter collegit in dissertatione de tutelis et insignibus navium p. 296.

Eustathius p. 1445. 59 docet quid sint τὰ τῶν τρυφώντων ψαισά, ἄλφιτα ὄντα κατὰ Παυσανίαν οἴνῳ ἢ ἐλαίῳ μεμαγμένα, ἢ δεδευμένα, ὁμοίως καὶ ἡ Ἀχιλλεία μᾶζα ἔχουσά τι ὡς εἰκὸς ἐξαίρετον, ἧς Ἀχίλλεια ἐλέγετο τὰ ἄλφιτα. De vocabulo ψαισά convenit Suidas qui Photium sequitur. A Pausania sua accepit noster quoque grammaticus p. 474. 8. In iis quae apud eum sequuntur, respicitur Arist. Eq. 619 habetque fortasse e Dionysio. Ibi perperam legitur: Ἀχίλλειοι κριθαί· αἱ εὐτελεῖς, nam e Suida colligo εὐγενεῖς verum esse; satis hoc apparet ex Aristophane.

Denique afferam Eust. p. 574. 28: φησὶ γοῦν καὶ Παυσανίας ὅτι ἀψὶς ξύλινος κύκλος τροχοῦ, τὸ δ' ἐπ' αὐτοῦ σιδηροῦν ἐπίσωτρον. Ὅμηρος δὲ τὸν μὲν τροχὸν ὅλον κύκλον ὀνομάζει, τὴν δ' ἀψῖδα ἴτυν. Ad verbum convenit grammaticus Bekk. p. 475. 27.

Haec igitur sunt fragmenta ab Eustathio e rhetoricis lexicis excerpta, quae in Bekkeri lexico invenire potui. Quum autem satis cognitam habeamus rationem commentandi quam Dionysius et Pausanias secuti sunt, nullo negotio plura indicare poterimus. Statim dabo quaedam exempla, sed primum animadvertendum videtur illa quae laudavi fragmenta tum in priore tum in altera vocabulorum serie occurrere; ex priore autem serie pleraque in Suidam fluxere, ex altera non fluxere. Habet ea res difficilem explicationem, sed proponam conjecturam de qua exspecto eruditorum iudicium.

Insunt nostro lexico fragmenta Aelii Dionysii et Pausaniae, ut arguit Eustathius; insunt fragmenta e Platonico lexico Boe-

thi, arguit consensus Suidae et Scholiastae ac praeterea Boethum satis novimus; insunt glossae homericae; insunt glossae sacrae; adspersa sunt excerpta e Timaei et Harpocrationis lexicis, postea interpolata, quod literarum ordo interruptus manifesto indicat; insunt egregia fragmenta e Phrynicho translata. Quid igitur impedit quominus credamus lexici nostri fundum esse Photii lexicon, cui postea a nescio quo grammatico, quem Methodium fuisse cum M. Schmidtio crediderim, allita sint fragmenta Phrynichi, quae apud Photium omnino desunt? Unica res est quae facit ut contra videatur. Ex isto duplici ordine, ea quae priore serie continentur vocabula in Suidam translata sunt, h. e. apud Photium quoque legebantur; quae in altera serie leguntur apud Suidam desunt, unde iure effici videtur ne apud Photium quidem ea lecta fuisse. Mira res est, nam Dionysii et Pausaniae fragmenta in utraque serie occurrunt. Unde igitur factum esse existimas ut quae in altera serie legantur Photius praeterierit? Cave dicas casu factum esse. Si Methodius adiisset ipsa rhetorica lexica, invenires lexicorum rhetoricorum fragmenta quocumque tandem ordine disposita, sed in ista congerie nullo indicio apparere posset quas glossas Photius praeteriisset. Si autem Photius usurpasset sextum Bekkeri lexicon, altera series non apud eum defuisset, quam defuisse vidimus e Suidae collatione. Accedit alia res quae primo obtutu inexplicabilis videri debet, sed tamen nobis indicabit quomodo difficilis quam aggressi sumus, quaestio expediri debeat. In altera serie quae apud Suidam deest neque igitur in Photio fuisse videtur, habemus p. 342 has septem glossas continuas: *ἀδαγμός*, *ἄδασμος*, *ἄδδιξ*, *ἀδεκατεύτους*, *ἀδήν*, *ἀδίαντον*, *ἀδιάφθορον*. Vocabula apud Suidam deesse non miramur, nam leguntur in media altera serie. Sed hoc miramur, Photium ea habere, cuius exigua particula ex litera A aetatem tulit, absque qua fuisset ne suspicati quidem fuissemus quam difficilis et mira quaestio lateat. Unicam novi viam qua possimus *τὰ φαινόμενα σώζειν*. Scilicet fundus Bekkeri lexici est Photius, sed non satis accurate dispositus secundum ordinem literarum. Photii amanuensem nil ultra praestitisse suspicor, quam id quod dominus in Bibliotheca pronunciaverat *ῥᾷσον εἶναι τῷ βουλομένῳ*: in unaquaque litera deinceps posuit quae ex auctoribus suis describebat eadem ratione

quam Ritschelius docuit secutum fuisse Thomam Magistrum, vel quam facili opera deprehendimus in quinto Bekkeri lexico. Fragmenta Pausaniae, Dionysii, Boethi se excipiebant; primum librarius posuerat verbi causa vocabula quae ab ἄλφα μετὰ τοῦ ἰῶτα incipiebant e Pausania excerpta, deinde quae invenerat apud Dionysium, denique quae apud Boethum prostabant. Hoc demum absoluto pergebat ad excerpenda eadem ratione vocabula quae ab ἄλφα μετὰ τοῦ κάππα incipiebant. Hoc unum sibi sumserat, ut si quae vocabula apud Dionysium et apud Pausaniam inveniret, haec plerumque iuxta collocaret modo in priore modo in altera serie. Talem Codicem nactus grammaticus noster permulta describere omisit, proverbia verbi causa, quorum sat magnum numerum collegerat Pausanias quaeque apud eum fere deficiunt, sed servata sunt in Suida; quaedam transposuit, haud pauca aliunde addidit praesertim e Phrynicho, ita tamen ut duplex series plerumque pelluceat. Suidas cum hanc farraginem describeret subinde lapsus est praesertim in initio operis, et ex altera serie, nam de glossis Platonicis nihil affirmaverim, multa omisit; sed quo Photiani libri rationem procedente opere melius perspiceret, eo pauciora neglexit, mox omnia describere coepit, qua de re infra dicam dedita opera. Grammaticus contra Bekkeri sensim negligentior fit, quod apparet vel e Phrynicheis observationibus, quarum numerus ab initio sat magnus, mox decrescit. In Photio supervenit postea librarius qui omnia ad literarum ordinem satis accurate digessit, quemadmodum Hesychium in Diogeniano fecisse novimus. Atque hic est Photius quo nunc utimur, in quo hoc quoque notandum est librarii beneficio Harpocrationis excerpta suis fere locis legi, cum in lexico Bekkeri incerta vagentur.

Qui unicus fortasse scrupulus restat, ita evellam ut ostendam huius rei in Photio clara vestigia superesse. Nempe librarius subinde neglexit verborum incompositum ordinem emendare. Inspice v. c. κόγχη, κόγχην, κόθορνος, κοῖλα (pro κύλα), κοινὰ τὰ Φίλων, κοίθουρον (pro κόθουρον), κοινεῖον, κοινολογία, κόγχη (ubi dederat ni fallor κοίχη). Haec est prior series; sequitur altera: κόβαλος, κόβαλος, κόβαλα, κοδομή, κοδρούς, κοδομεύτριαι, κόθορνος, Κοθύλη (pro Κονθύλη), Κοθωκίδαι, κοικύλλειν. Alibi non minus manifesta res est: ῥαβάττειν, ῥαβάττειν, ῥᾶγα, ῥαγδαῖον,

ῥάδα, ῥᾴδια, ῥᾳδιουργός, ῥαθαίνεται, ῥαθαπυγίζων, ῥαθασσόμενοι, ῥαιβόν, Ῥαικούς, ῥαίοιτο. Tum sequitur altera series: ῥά, ῥαγδαῖος, ῥαγδαίους, Ῥαδαμάνθυος ὅρκος, ῥᾴδιον, ῥαδιουργός, ῥᾳδίως, ῥάζειν, ῥᾳθυμία, ῥαΐσας, ῥᾳθυμεῖν, cet.

Alia indicia sunt in ipso Bekkeri lexico. P. 357. 23 descripta priore serie vocabulorum quae ab AI incipiunt, statim subiuncta ἀκάθεκτος, ἀκαθόσιωτον, ἄκαινα, ἀκαπήλευτον, tum grammaticus agnito errore redit ad alteram seriem nondum absolutam αἰγίζειν, αἶρε δάκτυλον, cet. Ne hoc quidem omittendum est esse hic illic vestigia tertiae cuiusdam seriei, veluti 357. 29—360. 5 et 381. 22 — 382. 15. Contra in Ἄλφα μετὰ τοῦ μ altera series prorsus defit.

De Phrynicho qui in operis initio sat saepe laudatur, hoc moneri potest eius mentionem in priore serie nullam esse. Dicerem hoc sine controversia verum esse, nisi aliquid restaret quod nondum satis explanare potui. Scilicet Suidas mihi non videtur usus esse Phrynichi libris, sed sunt apud eum aliquot observationes quae Phrynichi dicendi genus quodammodo referunt — nam de unica glossa Ἀθηναίας ubi nominatim laudatur alibi dixi — quaeque itidem leguntur in *priore* serie apud Bekkerum. Numerus harum glossarum non est magnus quidem, sed tamen difficile videtur praefracte negare, quamdiu aliquid supersit quod opponi possit.

Sequuntur loci qui sat certo Phrynicho reddi possunt.

p. 323. 12 ἄβατος ὁδός.
» 328. 9 ἀγῆλαι.
» 334. 24 ἀγανακτῶ σοῦ. — p. 335. 9 ἀγαλματοποιία.
» 335. 32 ἄγαμαι. — » 336. 14 ἀγαπητός.
» 336. 22 ἀγεωργίου. — » 336. 30 ἀγέλας πόνων.
» 337. 7 ἀγέλαιος.
» 337. 27 ἀγκράτος ἐλαύνω.
» 339. 30 ἀγροβόας ἀνήρ. — » 340. 8 ἄγρυκτα.
» 343. 10 ἀδικότροπος. — » 13 ἀδικοπήμονας.
» 344. 4 ἀδιάλλακτον. — » 7 ἀδικομάχους.
» 344. 13 ἀδολεσχεῖν.
» 344. 25 ἄδοξον. — » 345. 9 ἀδοξοῦνται.
» 345. 13 ἀδρῦναι.
» 345. 26 ἀδυναμία.

p. 346. 11 ἀδώρητος. — p. 20 ἄδωρος χάρις.
» 347. 7 ἀείνως. — » 32 ἄειλα.
» 350. 32 ἀθήρ. — » 352. 10 ἀθυρόγλωσσος.
» 353. 5 ἀθέμιστα.
» 362. 3 αἶα. — » 363. 8 αἴτιον γενέσθαι.
» 367. 14 ἄκληροι. — » 369. 28 ἀκρατῆ.
» 371. 20 ἀκέφαλον. — » 27 ἀκρατίσασθαι.
» 372. 4 ἀκούοντα ἄρισα. — » 373. 11 ἀκούσας ἥκειν.
» 382. 27 ἀλάσωρ. — » 383. 32 ἀλκάθω.
» 385. 16 ἄλογα. — » 30 ἄλυπον.
» 400. 4 ἀνέχειν. — » 401. 26 ἀνεψιαδοῖ.

Haec igitur sat certo Phrynicho reddi possunt, sive quia agnoscimus eius orationem, sive quia nominatim laudatur, sive quia idem alibi docet ipse. Alia sunt de quibus difficile est certi aliquid statuere, quia iam supra abunde ostendimus Phrynichum usum fuisse Dionysii lexico. Sunt huius rei in nostro quoque lexico permulta indicia. Veluti quod Dionysius docuerat p. 329. 15 quod inde in Suidam fluxit, Xenophontem noto loco dixisse ἀγκράτος ἐλαύνειν, id Phrynichus quoque docet p. 337. 27, addita admonitione: σὺ δ' ἄμεινον ποιήσεις μὴ χρώμενος τῇ λέξει. Notarat Dionysius p. 365. 23: ἀκόλασον καὶ ὕβριστον πρᾶγμα ἢ ἄνθρωπος· plura ex eo servavit Phrynichus p. 368. 12. Si quid igitur apud Suidam legitur et apud nostrum grammaticum in priore serie, quando convenit Phrynichus, tutius erit credere hunc e Dionysio habere. Exemplo sit p. 359. 3: αἰσχυνόμενος (δὲ) περιπλέκει τὴν συμφοράν coll. Bekk. Anecd. p. 3. 22 et sunt huiusmodi pauca quaedam alia. Semel in priore serie Phrynichus nominatim laudatur p. 369. 31: ἀκροτελεύτιον ἔπους· ibi igitur verba οὕτω Φρύνιχος loco mota crediderim. Suspiciosum quoque est p. 435. 15: ἄπλυτον πώγωνα· σκώπτων εἰπέ, quod legitur in priore serie et apud Suidam. Agnoscis Phrynichum, qui praeterea eadem verba laudavit p. 4. 14 Bekk. At in ea parte Bekkeri lexici Phrynichea non amplius apparent et Suidas non εἰπέ habet sed εἶπε, quod sic scriptum προπερισπωμένως omisso scriptoris nomine, nil habet quod Phrynicho unice proprium sit.

Perquam memorabilis est adnotatio p. 381. 27 in voce ἄλφα, ubi ratio redditur cur Moses ab Iudaeis ἄλφα dictus sit, sci-

licet διὰ τὸ πολλοὺς ἔχειν ἀλφοὺς ἐν τῷ σώματι. Fabulam hodie notissimam e Dionysio bona fide descripsit Phrynichus; Phrynichum autem sequitur Helladius in Chrestomathia, unde multa cum indignatione in Bibliotheca Patriarcha Constantinopolitanus: ὅτι φλυαρεῖ καὶ οὗτος τὸν Μωσῆν ἄλφα καλεῖσθαι διότι ἀλφοῖς τὸ σῶμα κατάσικτος ἦν. Hinc Dionysium qui bis laudatur in Phrynicheis p. 362. 3 et 25 nostrum Aelium esse suspicor.

Consentaneum est ex iis quae diximus, inesse in nostra sylloge glossas duplices sive Dionysii et Pausaniae, sive Dionysii et Phrynichi. Statim ab initio quaedam inveniuntur exempla quorum pleraque iam recensuit Cobetus. Est v. c. glossa ἀβυρτάκη, de qua vide eum in Mnem. X. 62. Legitur in ea Theopompi fragmentum, quod Meinekius sic scribit:

ἥξεις δὲ Μήδων γαῖαν ἔνθα καρδάμων
πλείσων ποιεῖται καὶ πράσων ἀβυρτάκη.

Contulit Cobetus tres locos ex Aeschyli Prometheo soluto, ut ostenderet Theopompum imitari et ridere Tragicam grandiloquentiam. Similia leguntur quoque in Prometheo vincto, ut:

Σκύθας δ' ἀφίξει νομάδας οἳ πλεκτὰς στέγας
πεδάρσιοι ναίουσ' ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις.

Et:

ἥξεις δ' Ὑβρισὴν ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον.

Et:

Ἀμαζόνων στρατὸν
ἵξει συγάνορ'

Et:

ἰσθμὸν δ' ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις
Κιμμερικὸν ἥξεις.

Et:

ἤπειρον ἥξεις Ἀσιάδ'.

Et:

τηλουρὸν δὲ γῆν
ἥξεις κελαινὸν φῦλον.

Est autem apud Eust. p. 1484. 30 ignoti poetae fragmentum:

χρόαν δὲ τὴν σὴν ἥλιος λάμπων φλογὶ
αἰγυπτιώσει.

Recte contulit Meinekius Aesch. Prom. 22:

σαθευτὸς δ' ἡλίου λαμπρᾷ φλογί
χροιᾶς ἀμείψεις ἄνθος.

Itaque mihi probabilis suspicio videtur versum illum Theopompi esse, ex eadem fabula Theseo depromptum.

Sed redeundum est ad id quod ostendere volebam de glossis duplicibus. Vide igitur ἄγαλμα, p. 324. 5 et 334. 18.

ἀβούλητον κακόν, p. 322. 3 et 323. 25.
ἀγοράσματα, » 331. 24 » 339. 3.
ἀγορᾶιος Ζεύς, » 327. 9 » 338. 52.
ἀγνωμόνως, » 329. 30 » 334. 8.
ἀγέρωχος, » 326. 9 » 336. 21.
ἀγκύλη, » 327. 19 » 337. 30.
ἀθέλδεται, » 350. 14 » 353. 2.
ἀκολασία, » 365. 20 » 367. 24.
ἄκομψον, » 365. 22 » 368. 31.
ἀλλὰ χρή, » 376. 30 » 378. 26.
ἀλεαίνοιμι, » 376. 1 » 381. 25.
ἀνδροσάθων, » 394. 5 » 27.
ἀσέλγεια, » 451. 6 » 10.
ἄτεγκτος, » 458. 13 » 18.
αὐθέκαστα, » 462. 25 » 463. 1.
ἀχιλλεία, » 474. 8—13.
ἀχράς, » 475. 10—12.

Nunc omissis locis, quibus supra iam usi sumus, exemplis paucis illustrabo rationem Aelii Dionysii in animadversionibus de dialecto Attica. P. 324. 27: ἀγαπησμὸς λέγουσι καὶ ἀγάπησιν τὴν φιλοφροσύνην, cum testimonio Menandri. P. 331. 24. ἀγοράσω λέγουσι, τὸ δ' ἀγορῶ βάρβαρον, cum testimonio Aristophanis ex Aeolosicone. P. 345. 10: ἀδράφαξυς· τὸ λάχανον ὅπερ οἱ πολλοὶ ἀνδράφαξυν καλοῦσι, cum testimonio Pherecratis. P. 354. 28: αἰγυπιὸν οἱ παλαιοὶ οὐ γῦπα, sed hoc quidem falsum est. P. 376. 4: ἀληθῆ καὶ τὰς ἀληθείας πληθυντικῶς λέγουσι cum testimonio Menandri. P. 395. 24: ἀνεκὰς ψιλῶς τὸ ἄνω λέγουσι καὶ ἀνέκαθεν τὸ ἄνωθεν. Apud Bekkerum locus mutilus est, sed vide Cratetis et Eupolidis locos apud Suidam. P. 402. 17: ἀνεψύχησαν· ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ ἀνέψυξαν. P. 405. 28: ἀνορωρυγμένον οὐχὶ ἀνωρυγμένον λέγουσι, cum testimonio Menandri quod vide apud Suidam. P. 406. 19: ἀνοκωχὴν διὰ τοῦ ο τὴν ἀνοχὴν λέγουσι. P. 407. 18: ἀντάλλαγον καλοῦσι τὸν ἀντὶ ἑτέρου ἠλλαγμένον οὐχὶ ἄνταλλον, cum tribus testimoniis Menandri apud Suidam, quibus etiamsi caetera abessent, tuto conficeres ea nos Phrynicho saltem non debere, nam notum est

quam ridicule is Menandrum vituperare soleat. P. 410. 14: *ἀντίθετον· τὸ σχῆμα τῆς Φράσεως ὡς ἡμεῖς*, cum testimonio Aristophanis. P. 411. 28: *ἀνύτειν οἱ Ἀττικοί, ὅπερ ἡμεῖς ἀνύειν· σημαίνει δὲ τὸ σπεύδειν*, nam sic locus corrigendus est. P. 425. 5: *ἀπεσαλμένην καὶ πεπεμμένην ἑκατέρως λέγουσιν*, cui olim opinor grammaticus adscripserat Dem. Aristocr. § 159, cf. Phot. v. *πεπεμμένην*. P. 429. 13: *ἀποκρινεῖται λέγουσι μᾶλλον ἢ ἀποκριθήσεται*, cum duobus testimoniis Menandri. P. 429. 21: *ἀποκείρασθαι καὶ κείρασθαι ἑκατέρως λέγουσιν*. Foeda corruptela est p. 429. 23: *ἀποκτίννυσι λέγουσι μᾶλλον ἢ ἀποκτιννύει*, cum testimonio Cratini, tum *καὶ ἀπεκτόνασι οὐκ ἀπεκτάγκασι*, cum testimonio Menandri:

πάτερ μὲν Θράσων' ἀπεκτάγκασι δ' οὔ.

Collato Suida Meinekius scribit:

ὦ πάτερ,

μισοῦσι μὲν Θράσων' ἀπεκτάγκασι δ' οὔ.

At hoc quidem fieri non potest ut Menander *ἀπεκτάγκασι* dixerit, quam barbaram formam ipse improbat Dionysius, qui Menandrum non affert ut carpat sed tanquam exemplum. Sed videamus reliqua. P. 430. 28: *ἀπολλύειν καὶ ἀπολλύναι· διττῶς λέγουσιν*. P. 432. 25: *ἀπονίψασθαι μετὰ τὸ δεῖπνον ἔλεγον, πρὸ τοῦ δείπνου δὲ κατὰ χειρός*. P. 432. 28: *ἀπονυχίσαι μᾶλλον λέγουσιν ἢ ὀνυχίσαι*. Addiderat ut opinor sic dixisse Menandrum. P. 433. 16: *ἀπόπατον καὶ κοπρῶνα λέγουσιν· ὁ δ' ἀφεδρὼν καὶ λυτρὼν βάρβαρα*. 435. 21: *ἀποσκοπεῖσθαι λέγουσιν οὐ σκοπεύειν*. P. 442. 8: *ἀργυρίδιον ὡς ἡμεῖς*, cum testimonio Eupolidis. P. 446. 1: *ἀρνακίδα· τὸ κώδιον, ὡς ἡμεῖς*, cf. Arist. Nub. 727 et Aristonymum apud Antiatt. p. 83. 24. P. 446. 7: *ἀροῦν οὐκ ἀροτριᾶν λέγουσιν*. P. 448. 24: *ἀρύτεσθαι σὺν τῷ τ λέγουσι καὶ οὐκ ἀρύεσθαι*, cum testimonio Platonis in Legg. I. 636 D et Arist. Nub. 273, cf. Suid. P. 449. 29: *ἀρχαιρεσίας λέγουσι πληθυντικῶς οὐκ ἀρχαιρεσίαν οὐδ' ἄλλως πως*. P. 450. 23: *ἀρώματα· οὐ τὰ θυμιάματα οἱ Ἀττικοὶ καλοῦσιν ἀλλὰ τὰ ἐσπαρμένα*. Hoc si scripsit Dionysius, et eum scripsisse credo, nam adstipulatur Suidas, fuit in eorum numero qui Eupolidis notum versiculum perperam interpretarentur. P. 452. 6: *ἀσκαλαβώτην οὐχὶ καλαβώτην λέγουσι· μᾶλλον δὲ γαλεώτην· Μένανδρος οὕτως*. Scilicet dixit: *οὗτοσὶ δὲ γαλεώτης γέρων*, qui notissimus locus

est, quem Donatus ad Terentium attulit. Sed vide quantum Dionysius Menandro tribuerit, qui eum Aristophani opposuerit. Sequitur mox Ἀσκληπίειον πεντεσυλλάβως λέγουσιν, quod compone cum Phot. v. Ὀλύμπια. P. 453. 27: ἄσαχυς καὶ ἀσαφίς· καὶ ὅλως τὸ πλεονάζειν τῷ α ἐν ἀρχῇ τῶν τοιούτων ὀνομάτων Ἀττικόν ἐσιν. Ὅμηρος·

ἐπί τ' ἠμύει ἀσαχύεσσιν.

Κρατῖνος·

Φοιτᾷς ἐπὶ δεῖπνον ἄνησις.

Sed aliter p. 455. 28: ἀσαφίδα καὶ ὀσαφίδα οἱ Ἀττικοὶ ἑκατέρως. Νικοφῶν ἐν Χειρογάσορσιν ὀσαφίδα εἴρηκεν, quocum compone Phot. v. ὀσαφίδα. Collato Hesychio crediderim Atticam formam ὀσαφίδα eamque reddendam esse Platoni Legg. VIII. 845. B. P. 457. 18: ἀσχολοῦμαι καὶ ἀσχολεῖ καὶ ἀσχολεῖται· ταῦτα Μένανδρος λέγει· Φιλήμων δὲ καὶ ἀσχολεῖ. Sed absurde legitur p. 471. 11: ἀφίημι καὶ ἀφίεμι ἑκατέρως προφέρονται καὶ συσέλλοντες καὶ ἐκτείνοντες τὴν δευτέραν συλλαβήν. Scripsit opinor ἀφίημι et ἀφείημι, nam forma ἀφίεμι ne barbara quidem est.

Quod supra ostendimus nostrum lexicon perpetuo cum Suida componendum esse, facit ut Hesychii meminerim, qui, quum e Diogeniano multa in rhetorica lexica fluxerint, saepe aliquid confert ad emendationem. Pauca dabo exempla de plurimis. P. 338. 15 laudatur Sophocles, nempe in fabula Φαίδρᾳ. P. 339. 8 idem poeta ἐν Ἀμφιαράῳ. P. 340. 16 intelligitur Euripides in Andromeda. P. 334. 8 ἀδίοπον ex Aeschyli Phrygibus. P. 344. 27 laudatur ἄδοξα, nempe ex Aeschyli Acrisio. P. 344. 28 intelligitur Sophoclis fabula Eurysaces. P. 352. 15 ἀθράνευτον est ex Euripidis Oeneo. P. 355. 29 αἴθρια σέφη e Cratini Iliadibus. P. 358. 28 affertur Sophocles; Hesychius addit Ἀλκμαίωνι. P. 360. 21, Hesychius αἰθύσσειν affert addito Σίνωνι Σοφοκλῆς. P. 363. 10 ἀΐδρυτα est e Cratini Σεριφίοις: et multa huiusmodi nullo negotio unusquisque colliget. Unum locum addam ut emendem. P. 349. 8 legitur: Ἀηδόνειος ὕπνος· Νικόχαρις. Εἰ πεύσομαι τὸν ἀηδόνειον ὕπνον ἀποδαρθέντα σαυτὸν αἰτιῶ. Scripsit ni fallor poeta:

εἰ. πεύσομαι
τὸν ἀηδόνιον μόνον ὕπνον ἀποδαρθόντα σε,
αὐτὸς σὺ σαυτὸν αἰτιῶ.

Cum alii scriptores in nostro lexico excitantur, tum Plato. Ubi nominatim laudatur, expedita res est et nullo negotio reperiuntur loci quos grammaticus respexit. Sed interdum nomen non additur, v. c. *ἀγισείας* p. 328. 4 coll. c. Schol. Axioch. 371 D; *ἀθησαύρισον* p. 349. 17 e Legg. VIII. 844; *ἀϊσωθείη* p. 363. 13 e Protagor. 321 A; *ἀκροσφαλεῖς* p. 367. 17 coll. cum Schol. Rep. III. 403 C; p. 386. 29 *ἀμβλίσκουσιν* e Theaet. 149. D; p. 387. 15 *ἀμεταστρεπτὶ* e Rep. X. 620 E; p. 387. 16 *ἀμηγέπη* coll. c. Schol. Soph. 259 D; p. 389. 28 *ἀμωσγέπως* coll. c. Schol. Phaedr. 228 C; p. 391. 21 *ἀναμετρήσαιμι* coll. c. Schol. Epist. VII. 345 D; p. 392. 33 *ἀνατὶ* coll. c. Schol. Legg. IX. 871 E; p. 408. 13 *ἀντιτύπους* e Theaet. 156 A; p. 413. 8 *ἄξιος οὐδὲ μόνου* e Theaet. 162 E, cf. Cobet. Mnem. IX. 349; p. 441. 14 *ἀπώμοτον* coll. c. Schol. Legg. VII. 814 A; p. 447. 23 *ἀρτιμελὴς* et *ἀρτίφρονες* e Rep. VII. 536 B; p. 459. 2 *ἀτεράμων* coll. c. Schol. Legg. IX. 853 D; p. 459. 19 *ἄτιμος* coll. c. Schol. Legg. IX. 855 C.; p. 468. 10 *αὐχμηρόν* coll. c. Schol. Rep. VIII. 554 A; denique p. 471. 7 *ἀφιλασαμένη* e Legg. IX. 873 A.

His igitur locis certum est Platonem respici. In Xenophonte fere eadem res est. Non nominatur quidem, sed intelligitur tamen p. 322. 24 *ἁβρότητι* e Cyrop. VIII. 8. 8; *ἀγαπητὰ ἤθη* p. 324. 21 e Mem. III. 10. 5; *ἀγαπῴην ἄν* ex Anabas. I. 1. 4; *ἀγλευκὲς* p. 329. 21 ex Oecon. VIII. 3 cf. Cobet. Mnem. VII. 60; *ἀνεφυσῶντο* p. 399. 15 ex Hell. VII. 1. 24; *ἀξιάγασος* p. 412. 24 e Rep. Lac. X. 2; *ἀξιέρασον* p. 412. 25 ex Oecon. X. 3; *ἀπέδοξεν* p. 419. 20 ex Hell. VII. 4. 34; *ἀπημείφθη* p. 424. 11 ex Anabas. II. 5. 15.

Videamus quoque quaedam Thucydidea; *ἀκραιφνοῦς* p. 366. 8 Thuc. I. 19; *ἀναδάσασθαι* p. 390. 6 Thuc. V. 4; *ἀναδιδάξαι* p. 390. 12 Thuc. I. 32; *ἀναθρούμενα* p. 390. 19 Thuc. IV. 87; *ἀνοκωχῆς* p. 391. 12 Thuc. I. 40; *ἀνασκευασάμενοι* p. 392. 29 Thuc. I. 18; *ἀνέρσει* p. 401. 29 Thuc. I. 6, cet.

Grammaticum Bekkeri dimittere non possum priusquam Harpocrationem comparavero. Scilicet, quod supra pluribus explicui, Aelius Dionysius et Pausanias saepe ita cum Harpocratione conspirant, ut in eadem re exponenda modo plura habeant, modo pauciora. Cum neutiquam credibile sit ex his tribus

unum duorum reliquorum esse fontem, restat ut sumamus omnes sequi eundem, nempe vetustiorem quendam grammaticum, quem significavi fortasse fuisse Caecilium Calactinum. Nihil habet ea res quod quis miretur; imo si quis grammaticos longo usu cognoverit, hoc magis mirum foret, si tandem reperirentur suum judicium sequi maluisse quam aliorum. Non cadit in Hadriani tempora ea diffusa lectio quam apud eos deprehendimus et, nisi me conjectura fallit, bona pars eorum quae e veteribus Oratoribus afferunt, jam interierat. Vidimus Dionysium sedulo adhibere Diogeniani lexicon; vidimus Pausaniam aliunde accepisse proverbiorum interpretationes, quorum magnum numerum collegerat; in glossis rhetoricis, eas volo quae proprie pertinent ad usum Oratorum Atticorum explicandum et ad ius civile Atticorum, num aliter eum fecisse censebimus? In Harpocratione manifesta res est. Homo nullius judicii haud raro laudat veteres grammaticos Alexandrinos; scilicet gloriolam captat laudandis scriptoribus quos numquam legit; sed quos revera describit, horum nomina callide cavet ne resciscas. Sed haec omnia supra quantum satis videbatur, exposui. Nunc ostendam quid noster grammaticus afferat ad rem explanandam.

Legitur apud Bekk. p. 354. 4: *αἰγίς· τὸ ἐκ τῶν ϛεμμάτων πλέγμα· καὶ τὸ διάϛεμμα τῶν πεπλεγμένων δικτύων· καὶ τὸ τοῦ Διὸς ὅπλον καὶ ἀνέμου συϛροφὴ ἣν καὶ καταιγίδα καλοῦσι· καὶ θώραξ· καὶ ἡ ἐν ταῖς πεύκαις οὐλότης.* Haec quomodo legenda sint et unde grammaticus noster habeat, patebit ex Eustathio p. 603. 16: *Αἴλιος Διονύσιός φησιν· αἰγὶς τὸ ἐκ τῶν ϛεμμάτων δίκτυον. Παυσανίας δὲ τὸ ἐκ τῶν ϛεμμάτων πλέγμα καὶ τὸ διὰ τῶν ϛεμμάτων πεπλεγμένον δίκτυον.* Addit Eustathius: *καὶ οὗτοι μὲν οὕτω· οἷον δ' ἔργον ἡ τοιαύτη αἰγὶς οὐκ ἐδήλωσαν σαφῶς*, quod tamen haud supervacaneum fuerat. Sed nunc vide Harpocrationem: *αἰγίδας· ἐκάλουν τὰ ἐκ τῶν ϛεμμάτων δίκτυα. Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς διοικήσεως καὶ Νυμφόδωρος. Ἡρόδοτος δ' ἐν δ' (c. 189) ταύτας φησὶν ὑπὸ Λιβύων αἰγέας καλεῖσθαι.* Putasne unum horum de suo sapere? Non facies collato Hesychio: *αἰγίς· ὅπλον ἐξ αἰγός· καὶ τὸ ἐκ τῶν ϛεμμάτων διαπεπλεγμένον δίκτυον. Νυμφόδωρος δὲ καὶ τὸν θώρακα αἰγίδα λέγεσθαί φησιν ὑπὸ Λακώνων.* Est hoc exemplum in paucis manifestum.

Glossa est Harpocrationis: *ἀγελαίων· Ἰσοκράτης ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ* (§ 18), *ὡς ἂν εἰ ἔλεγε τῶν πολλῶν σοφιστῶν καὶ πλανήτων· ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἀγελαίων ζῴων ἃ βόσκεται εἰς ἃ τύχοι χωρία, ἢ ἀπὸ τῶν ἰχθύων οὓς διαβόσκεσθαί Φασι ῥύδην καὶ ἀγεληδόν.* Cum his compone Bekk. p. 325. 32: *τὸ μὲν ὄνομα ἴσως ἀπὸ τῶν ζῴων συναγελαζομένων, ἐφ' οὗ σημαινομένου καὶ Πλάτων κέχρηται ἐν τῷ Πολιτικῷ* (266 A), *μετῆκται δὲ ἐπὶ τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἀδοξοτέρους· οὕτως Ἰσοκράτης ἐν τῷ Πανηγυρικῷ αὐτοῦ λόγῳ* (voluit Panathenaico II.)· *καὶ ἀγελαῖον ἄρτον τὸν χυδαῖον.* Quibuscum cf. Pausaniam apud Eust. p. 1165. 6. Qui *ἄρτους ἀγελαίους* dixit, Plato Comicus est apud Athen. III. 110 D. Hes. v. *ἀγελαῖοι ἰχθύες.*

Apud Bekkerum p. 346. 20 haec leguntur: *ἀεί· κοινότερον μὲν ἐπὶ τοῦ κατὰ πάντα χρόνον καὶ ἐν παντὶ καιρῷ· ἔστι δὲ ὅπου καὶ ἀντὶ τοῦ ἕως καὶ μέχρι. Πλάτων ἐν Συμποσίῳ· ἐπειδὴ δεδειπνήκαμεν διελεγόμην ἀεὶ πόρρω τῶν νυκτῶν. Καὶ ἐν ἄλλοις πολλοῖς· καὶ Εὐριπίδης ἐν Μηδείᾳ* (vs. 670)·

ἆπαις γὰρ δεῦρ' ἀεὶ τείνεις βίον;

Cf. lex. Bachm. v. *δεῦρ' ἀεί.* Nota in Platonis Symp. 217 D legi *ἐδεδειπνήκει* et *ἀεί* abesse. Particula abest quoque in Legg. VII. 811 C . . . *λόγους οὓς ἐξ ἕω μέχρι δεῦρο δὴ διεληλύθαμεν,* ubi lex. Bachm., h. e. Photius sec. Boethum habet *δεῦρ' ἀεὶ διελ.* Diligenter de hac varietate videndum. Sed vide nunc Harpocrationem: *ἀεί· ἀντὶ τοῦ ἕως, παρ' Ἀντιφῶντι Σαμοθρᾳκικῷ· πολλὴ δὲ χρῆσις αὐτοῦ· καὶ Θουκυδίδης ἐν τῷ προοιμίῳ οὕτως ἤρξατο* (I. 18).

οὕτω μὲν οὖν μοι δεῦρ' ἀεὶ τείνει λόγους.

Vides locum lacunosum esse, sed minime facio cum viris doctis quorum sententias Dindorfius recenset, qui senarium concinnarunt:

οὗτος μὲν οὖν μοι δεῦρ' ἀεὶ τείνει λόγος.

Aut omnia me fallunt, aut apud Harpocrationem superest ille ipse e Medea versiculus 670, sed ut in lacuna graviter corruptus et infelici Graeculi conjectura suppletus.

Perspicua res est Harpocrationem v. *ἀδύνατοι* et grammaticum Bekk. p. 345. 15 eiusdem doctrinam sequi, qui Aristotelis Philochori et Lysiae locos conjunxerat. Patebit hoc si quis vel obiter locos inspexerit. Exemplo sit quantum referat in disci-

plina Antiquitatum bene tenere grammaticorum gradus et quasi cognationem, ne plures dixisse putes quod unius fide nitatur. Sed vide quam hoc sit verum apud Boeckhium in Oec. Civ. I. 344, cuius locum Dindorfius attulit.

Ad vocem Ἱππία Ἀθηνᾶ haec Harpocration: Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Καλυδῶνα. Μνασέας ἐν α΄ Εὐρώπης τὴν Ἱππίαν Ἀθηνᾶν Ποσειδῶνος εἶναί φησι θυγατέρα καὶ Κορύφης τῆς Ὠκεανοῦ, ἅρμα δὲ πρῶτον κατασκευάσασαν διὰ τοῦτο Ἱππίαν κεκλῆσθαι. Cum his compone p. 350. 25 Bekk.: Ἀθηνᾶ Ἱππία· ἢ ὅτι ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ὡς ὁ μῦθος μεθ' ἵππου ἀνήλατο· ἢ ὅτι, ὡς Μνασέας, ἡ Ποσειδῶνος καὶ Κορύφης τῆς Ὠκεανοῦ θυγάτηρ Ἀθηνᾶ τὸ ἅρμα τῶν ἵππων ἐξεῦρεν· ἄλλοι δέ φασιν ὡς Ἄδρηστον φεύγοντα καὶ ἐπὶ κολωνοῦ στήσαντα τοὺς ἵππους Ποσειδῶνα καὶ Ἀθηνᾶν Ἱππίους προσαγορευθῆναι, ubi malim προσαγορεῦσαι cum p. 207. 32. Recte ni fallor M. Schmidtius Didym. p. 104 contendit omne hoc e Didymo fluxisse, sed illud investigandum est, si grammatici nostri ipsum Didymum non adierint, sicut verisimile est, quis fuerit qui primus Didymi copias contraxerit.

Harpocration habet v. ἄξονι· οἱ Σόλωνος νόμοι ἐν ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσι γεγραμμένοι. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους (p. 629. 21)· ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται· ἦσαν δὲ, ὥς φησι Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην, τετράγωνοι τὸ σχῆμα, διασώζονται δ' ἐν τῷ πρυτανείῳ γεγραμμένοι κατὰ πάντα τὰ μέρη· ποιοῦσι δ' ἐνίοτε φαντασίαν τρίγωνον, ὅταν ἐπὶ τὸ στενὸν κλιθῶσι τῆς γωνίας. Alienum est a nostra disputatione retractare quaestionem de nescio quo discrimine inter κύρβεις et ἄξονας, quam illustravit Hullemannus in Miscell. Philol. 1850. p. 57, sed hoc unum moneo multum errare qui ex Harpocrationis verbis probare vellet illum ἄξονας vidisse, quia addat illos suo tempore salvos fuisse. Nempe hoc quoque refer ad aetatem Polemonis. Hic autem sufficit adscribere p. 413. 15 Bekk.: ἄξονες ξύλα τετράγωνα ἦν ἀπὸ τοῦ ἐδάφους μέχρι τοῦ ὀρόφου διήκοντα καὶ διὰ τινὸς περόνης στρεφόμενα, ἐφ' ὧν οἱ Σόλωνος νόμοι ἀνεγράφοντο· μέμνηται δὲ τῆς λέξεως Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους· λέγονται δὲ καὶ ἐν τοῖς μαθήμασιν ἄξονες περὶ οὓς σφαῖραι καὶ κύλινδροι καὶ τὰ τοιαῦτα καὶ στρέφονται καὶ συνίστανται· καὶ τῶν ἁμαξῶν δὲ οἷς οἱ τροχοὶ συνεχόμενοι περιστρέφονται. Nunc satis est conferre Phot. v. κύρβεις.

Longum est describere verbosam glossam p. 416. 24 de voce ἀπατούρια ut cum Harpocratione componam; satius est lectores ablegare ad Mehlerum qui in Mnem. IV. 152 de hac glossa egit, quae mihi quidem Platonica videtur.

Imprimis utilis ad nostram rem est Harpocrationis nota glossa ἀπρότων· Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Πυθέου· ἐμπεπηδηκότων ῥητόρων ὥσπερ ἀπρότων εἰς τὸ ἐμπόριον· μήποτε γραφικὸν ἁμάρτημα καὶ δεῖ γράφειν ὥσπερ λῃστῶν· ἔν τισι δὲ γέγραπται· ὥσπερ παρνόπων· εἰσὶ δὲ οἱ πάρνοπες εἶδος ἀκρίδος. Putidum est de hac glossa aliquid dicere velle post Cobetum in Commentat. Philol. Sed vide mihi p. 441. 14 Bekk.: ἄπροτον· οἱ μὲν εἶδος εἶναι κογχυλίου φασίν, οἱ δὲ ἀκρίδων, οἱ δὲ μελιττῶν· ἔκαστον δὲ τούτων ἀγεληδὸν νέμεται, καὶ οἱ μὲν τὰ ἄνθη, οἱ δὲ τοὺς καρπούς, οἱ δὲ τὰ ποώδη σίνουσιν· ἀφ' ὧν καὶ τοὺς κατὰ συμμορίαν κακούργους (malim κακουργοῦντας) ἀπρότους ὠνόμασαν. Hoc imprimis est ridiculum credere κογχυλίων mentionem Dinarchi loco quodammodo convenire. Sed notatu dignum est quam vetus corruptela sit, cuius memoria repetitur non tantum ex his locis, sed etiam ex Etym. M. et ex lex. rhet. p. 204. 23, ubi ἀβρότων simili ratione explicatur.

Verbo indicabo Harpocrationis glossam ἀργᾶς initio mutilam, quae, ut aliquoties factum est, partim integrior servata est in Epitome. Compone Bekk. p. 442. 30, Schol. Aesch. et Hesychium: videbis omnes ex eodem fonte hausisse. Nullo modo fieri potest ut Harpocration sua a ceteris mutuatus sit; vel hoc solum, de quo alibi diximus, Epitomen nonnunquam integriorem esse, rem conficit.

Aliud exemplum praebebit vox ἀσράβη, de qua ita Harpocration: ἡ ἡμίονος· Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου (p. 558)· μήποτε δὲ καὶ πᾶν ὑποζύγιον ἐφ' οὗ ἄνθρωποι ὀχοῦνται, οὕτως ἐκαλεῖτο. Haec plenius apud Bekk. p. 454. 18: τὸ ἐπὶ τῶν ἐφίππων ξύλον ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι· καὶ αὐτὸ τὸ νωτοφόρον ὑποζύγιον· καὶ πᾶν ὑποζύγιον ἐφ' οὗ οἱ ἄνθρωποι ὠχοῦντο οὕτως ἐκαλεῖτο, ὡς καὶ Δημοσθένης κατὰ Μειδίου. Similis ratio est in glossa ἀφορμή p. 472. 6, sed haec iam sufficere opinor.

Hoc unum addo esse quaedam quae harum λέξεων collector ipse addiderit. Exempla sunt p. 438. 1 ἀπότριψις, p. 324. 10 ubi Philo laudatur, fragmentum Orionis p. 332. 13, Theognosti

p. 366. 30, alia. Glossae scripturariae facile agnoscuntur, v. c. *αἱρετιεῖ με* Genes. 30. 20, *αἱ ψελλίζουσαι* Jes. 32. 4, *ἀλισγημάτων* Act. Apost. 15. 20, *ἀκηλίδωτον* Sap. Salom. 7. 26, *ἀλεῖται* Jes. 55. 6, *ἀλισγηθῇ* Dan. 1. 8, *ἀναζυγαῖς* Exod. 40. 37, cet.

§ 19.

De Suida.

Suidas cum lexicon conderet, Photii Codicem nactus qualem in superioribus dixi, paene totum in farraginem recepit. Pauca quaedam, praesertim in initio operis, casu omisit; alia consulto non descripsit, sive quia interpretatio in Codice deerat, sive quia locus impeditus erat et corruptus; cetera cum pulvisculo exhausit. Hinc intelligitur parum esse praesidii in Suida ad Photii emendationem; repraesentat corruptelas prorsus easdem et saepe plures et, si quando conjectura locum tentavit, vix est operae pretium adnotare, nam quis Suidae provinciam mandabit veteres scriptores emendandi? Verum Photii librarius incompositam quam offenderat verborum seriem cum in ordinem redigeret, commisit errores non multos quidem sed commisit tamen, quos nunc intelligis cur in Suida non appareant. Itaque non facio cum Cobeto qui contendit nihil in Suida esse, quo quis utatur ad Photium emaculandum, sed si quae sunt eius generis, ad singulas glossas adnotabo et nunc, ne res dubia videatur, quum ipsum Cobetum adversarium habeam, exemplis confirmabo. Apud Photium desunt in v. *ἐσάλευε* verba *σημαίνει δὲ (ἡ λέξις τό· τὰς ἐλπίδας ἐπὶ τούτῳ εἶχεν)*. In v. *εὐθετῆσαι· (οὕτως Ἀριστοφάνης)*. In v. *εὐήνορα· τὸν εὖ (τὸν ἄνδρα διατιθέντα)*. In v. *εὐκλεία· Ἐρατοσθένης ἐν ιβ' περὶ (κωμῳδίας)*. In v. *ἤγαλλεν· Εὐνόμιος ὁ δυσσεβὴς (καὶ αὐτὸς οὗτος πολλάκις)*. In v. *θῆσσα· (θῆσσαν τράπεζαν)*. In v. *λαρινοὶ βόες· ὡς Λύκος (ὁ Ῥηγῖνος)*. In v. *μᾶλλον Φρύξ· τοσοῦτον εἶπεν ὑπερέχεις (τῶν ἄλλων ὅσον θάλασσα ποταμῶν· ἀκούσας δὲ Κροῖσος εἶπε μᾶλλον ὁ Φρύξ)*. In glossa *μὴ νόμισον*, Photii Codex *οὕτω Θουκυδίδης*, Suidae *Θαγενίδης* pro *Θουγενίδης*, quae certe non conjectura Suidae est. Glossam *ὁμοῦ* supra iam exscripsi. In glossa *πελανοί* Photius:

πέμμα ἐκ πολῆς τουτέσιν ἀλεύρου, εἰς θυσίαν ἐπιτήδεια, καρποὶ μέλιτι δεδευμένοι, cet. Rectius Suidas: πέμματα ἐκ παιπάλης τουτέσιν ἀλεύρου λεπτοτέρου, εἰς θυσίαν ἐπιτήδεια, ὡς αὐτός φησι (Plat. Legg. VI. 875 C) καρποὶ μέλιτι δεδευμένοι cet. In v. παροψίδας desunt apud Photium (σκεύη ὑπηρετικὰ τραπέζης). In v. περίσκεπτον· (ἀΦ' οὗ ἐςὶ περισκοπῆσαι καὶ ἰδεῖν). In v. σχολή· ἡ ἐν τοῖς λόγοις (εὐμουσία) et καὶ (σχολῇ) ἀντὶ τοῦ οὐδαμῶς. In v. τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν· Κρατῖνος (Πυλαίᾳ· Ἄνδρας) σοφούς. Haec igitur omnia et alia quaedam, quae non opus est adnotare, e Photio evanuere. Pauca esse fateberis, et haec quoque pertinent ad eandem librariorum causam, quam supra suscepi, cum significarem, si cum grammaticis contuleris, quorum opera describerent, librarios rem suam satis accurate egisse atque recte et diligenter negotio suo functos esse.

Nunc mihi certamen est cum iis qui fidem aliquam habent Suidae inscriptioni, in qua scilicet docemur ex quibus grammaticis Suidae lexicon conflatum sit. Qui cum negant Suidam descripsisse Photii lexicon, vix habeo quod reponam. Quod somniantur de Eudemo, quam infirmo tibicine nitatur, supra satis indicavi. Video in utroque Photii et Suidae lexico corruptelas et lacunas easdem; video e Photio nihil in Suida deesse quod sit operae pretium dicere: qui his argumentis nolunt manus dare, iis vereor ne numquam aliquid persuadere possim. Perpendant tamen velim hanc Photii glossam: Κέλευθος· ὁδὸς ἀπὸ τοῦ κέλλειν ὅ ἐςιν εἰς τοὔμπροσθεν ἰέναι· ὅθεν καὶ ἐξώκειλεν ὅ ἐςιν ἔξω τοῦ κέλλειν γέγονεν. Haec sic leguntur in Codice Galeano: — ὅθεν καὶ ἐξωκέλης τὸ λῃςρικὸν πλοῖον ἢ ἄςρωτος ἵππος κεῖλεν ὅ ἐςιν ἔξω τοῦ κέλλειν γέγονεν. Intelligis quid librarius commiserit. Bis scripsit glossam quae proxima sequitur: κέλης· τὸ λῃςρικὸν πλοῖον ἢ ἄςρωτος ἵππος, sed ita ut vocabulum ἐξώκειλεν in duas partes distraheret, quo errore partum est monstrum ἐξωκέλης. Nunc vide quam egregius criticus sit Suidas, qui hinc *suo loco* habet: ΈΞΩΚΕΛΗΣ· τὸ λῃςρικὸν πλοῖον ἢ ἄςρωτος ἵππος, unde nunc in Graecitatis gazam recepta est vox quam nemo vidit et nemo videbit. Δυσπειθὴς sit qui etiam nunc pergat obloqui. Simile est monstrum apud Suidam ἐξορευγμία, quod eum sibi habere iubemus, nam perperam legit apud Photium ὀξυρεγμία.

Non complectar universam quaestionem de fontibus Suidae, de qua Bernhardyus haud incuriose egit, sed ea tractabo quorum ratio cum Photio conjuncta est. Ac primum unusquisque facili negotio experiri poterit, an verum sit quod nunc non temere affirmo, quidquid apud Suidam pertineat ad ius civile Atheniensium explicandum vel ad declarandam rationem Atticae dialecti, quidquid habeat depromptum ex Aelio Dionysio, Pausania, Harpocrationis Epitome, Boetho, Timaeo, quodque adeo pertineat ad interpretationem comicorum poetarum, Platonis, Thucydidis, aliorum, haec igitur omnia cum Photio debere. Non est ardua res distinguere quae undique corrasit ex Scholiastis, ad Aristophanem potissimum et ad Sophoclem, nam plerumque ei convenit cum Scholiis quae aetatem tulerunt; cetera aliunde excerpta, proverbiis aliquot fortasse exceptis, ita comparata sunt ut a Photii ratione longissime absint; atque ita factum est ut quicumque Photio semel iterumque perlecto, ad Suidam accedat, satis certo ubique agnoscere possit, quid Suidas huic debeat, quid aliunde acceperit. Itaque quaedam videamus, quae e Photio in Suidam translata, cum dimidia pars Galeani Codicis perierit, possint tamen in lucem et vitam revocari.

Diximus iam de litera A, cum sermo esset de sexto lexico Bekkeri, sed ille grammaticus qui modo plura quam Suidas habet, e Photio servavit, modo pauciora, plerumque parum curat glossas Platonicas Boethi et proverbia Pausaniae. Haec igitur apud solum Suidam prostant. Itaque Photio, i. e. Pausaniae reddemus proverbia Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα, ἀδεὲς δέδιας δέος, αἶξ οὐρανία, αἶξ Σκυρία, Αἰσώπειον αἷμα, Ἀκεσίας, ἄλας ἄγων καθεύδεις, ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ, ἄλλα μὲν ὁ Λεύκωνος, ἄλλο γλαύξ, ἄλλοις μὲν γλῶττα, ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς, et innumera alia. Aelio Dionysio et Boetho reddes Platonicas glossas ἄγνος, Ἀδώνιδος κῆποι, ἀλαζών, ἀμαθέστερος, ἀμαθία, ἀνάγκης ἄτρακτον, ἀναδιδοῦσαν, ἀναθέσθαι, ἀναθολώσει, ἀνακαγχάσας, ἀνακογχυλιάσαι, ἀνακρουόμεθα, ἀνδραποδώδεις, ἀντιλέγειν, ἀντίληψις, ἀξιῶν, ἀπέσβηκε, ἀπ' ὄνου καταπεσών, ἀρύτεσθαι, ἀρχαῖος, ἀτεχνῶς, alias. In aliis facile agnosces eundem morem quem in Photio toties vidisti, ut in glossis: ἄλλο ἕτερον, ἁμάρτοιν, ἀμοργοί, ἀμπαλίνορος, ἀμφήμερον, ἀναβιβῶμαι, ἀναβλυσονῆσαι, ἀναγχιππεῖν, ἀνάδοχον, ἀναθεῖναι, ἄναλτον, ἀναλυθῆναι, ἀναπετῶ,

ἀνάριϛος, ἀνάσιλλος, caet. Imprimis est notabilis glossa ἀπὸ σόματος, sed tot in Suida recurrunt, quibus haec ratio confirmatur, ut vix praecipua indicare queam. Vide quoque duplicem glossam ἀναπίπτειν, in qua Thucydides et Cratinus laudantur.

In ceteris literis satis habebo adnotare quae nominatim ab Eustathio ex utroque rhetore excitantur. Haec igitur Aelii Dionysii sunt: βατήρ, cf. Eust. p. 1404. 55; βυσσαύχην, cf. Eust. p. 207. 4; γέλοιος, cf. Eust. p. 205. 45; διαβασιλίζεται, cf. Eust. p. 1425. 40; δορύξενος, cf. Eust. p. 405. 36; ἐδέατρος, cf. Eust. p. 1403. 40; ἐξέτει, cf. Eust. p. 1417. 50. Pausaniae autem: βοῦς ἕβδομος, cf. Eust. p. 1165. 6; δεύτερος πλοῦς, cf. Eust. p. 1453. 21; εἰρεσιώνη, cf. Eust. p. 1283. 6; ἐκτορμεῖν, cf. Eust. p. 598. 21; ἐν ὅλμῳ ἐκοιμήθη, cf. Eustath. p. 836. 44; ἐπαύλια, cf. Eust. p. 1337. 43; ἐπὶ Παλλαδίῳ, cf. Eust. p. 1419. 50. Possum plura addere sed lectoribus gratum me facturum confido, si vela contraham.

§ 20.

De Etymologico Magno.

Nondum pertractarunt viri docti quaestionem de scriptoribus quos magnus Etymologus consuluit. Habet tamen ille quibus se nobis commendet, nam, licet in etymologicis quaestionibus absurda et ridicula tradat, complura tamen habet ex vetustis grammaticis excerpta, quae alibi non leguntur. Equidem nunc hoc solum videbo quid afferat ad Photii pleniorem intelligentiam.

Quis Etymologus fuerit ignoratur, sed constat de tempore quo vixit. Usurpavit scilicet et nominatim laudat Photii lexicon, ipse laudatur ab Eustathio in commentariis Homericis; floruit igitur saeculo undecimo neque mirum est eum Christianum fuisse, ut videmus p. 263. 17. In opere digerendo — sed malo componendo dicere nam indigesta moles est — paucissima addidit de suo, tantum non omnia aliunde habet et laudabili instituto auctores suos plerumque nominat, sed, ut fit, librarii interdum omiserunt nomina adscribere. Quae de suo addidit, ineptae sunt quaedam etymologiae et unica praeterea quaestio est, quam

curat, de litera ἰῶτα subscribenda. Pauperculus fuit et nullius judicii, quod non alio loco melius apparet quam p. 417. 10 in v. ἤτοι, ubi disputat de orthographia particulae ἦχι: — πολλῶν δὲ λεγόντων σὺν τῷ ἰῶτα γράφεσθαι καὶ πολλῶν ἀντιλεγόντων χωρὶς τοῦ ἰῶτα, τῆς μέντοι παραδόσεως ἐχούσης τὸ ἰῶτα, δίκαιον ἥγημαι πάντας παρακρουσάμενος τῇ παραδόσει μόνῃ ἕπεσθαι καὶ μὴ διακενῆς γράφειν ἃ χρεία οὐκ ἔστι, καὶ μάλιστα πολλαῖς καὶ ἀνεικάστοις συμφοραῖς καὶ τῇ τῶν ἀναγκαίων πιεζόμενος σπάνει, ἀλλὰ τῷ τῶν λόγων ἀνθελκόμενος ἔρωτι οὐδ' ὅλως τοῖς ὀφθαλμοῖς ὕπνον δέδωκα, ὥστε καὶ αὐτὸς ὠφεληθῆναι τὰ μέγιστα καὶ τοῖς μετ' ἐμὲ καταλιπεῖν μνήμης ἄξιον. In simili quaestione p. 38. 18 accingit se his verbis: γυμνάσωμεν δὲ καὶ ἡμεῖς καὶ δείξωμεν .... Neque tamen ubique prima persona indicatur ipse Etymologus; quod verbi causa dicit p. 352. 25: ἐγὼ δὲ μᾶλλον νομίζω ..... non ipse intelligendus est, sed habet e Photio v. ἑωλοκρασία, qui ipse alios describit. Eadem res est in v. τρύχνον. Sed plerumque liquido constat ipsum Etymologum intelligi debere, quum dicat: ἐγὼ ἐπενόησα, τοῦτ' ἐγὼ εὗρον, ἐγὼ δέ φημι simil. Ex istis locis patet quod dixi eum fuisse ὑπόμωρον, nam non facile unquam quis procudit etymologias absurdiores. En adnotationem p. 660 extr. de origine vocabuli πέος· σημαίνει τὸ αἰδοῖον, οἶμαι ὅτι κατ' ἔλλειψιν τοῦ σ, ὅτι σπᾷ καὶ ἐντείνεται· ἢ κατ' ἔλλειψιν τοῦ λ πλέος, παρὰ τὸ πλησιάζειν· ἢ παρὰ τὸ πῶ τὸ κτῶμαι, δι' οὗ κτώμεθα τέκνα· ἢ Φέος οἷον Φύος δι' οὗ Φύομεν τέκνα. Ἐγὼ ἐπενόησα. Itaque macte virtute esto.

In simili argumento invenies εὗρον ἐγώ p. 62. 1 et 789. 12; ἐγὼ δέ φημι p. 51. 8, 590. 40 et 584. 14; οὐχ εὗρον ἐγὼ p. 15. 44 et 433. 5; οὕτως εὗρον ἐγώ p. 454. 28, 664. 51, 711. 56, 727. 7 et alibi ὡς ἐγώ φημι, ὡς ἐγῷμαι, ὡς οἶμαι vel simpliciter ἐγώ.

Usus est Etymologus libris permultis, Methodio, Choerobosco, Philoxeno, commentariis Homericis Apollonii Archibii filii et aliorum, eiusdem glossis Herodoteis, scholiastis Apollonii Rhodii, Pindari aliis, sed interdum parum constat utrum ipse laudatos scriptores inspexerit an alios descripserit. De antiquis scriptoribus res manifesta est; nemo credit Etymologum ut hoc utar legisse Cratinum, etiamsi eius testimonio utatur, sed etiam vetustos grammaticos non ipse inspexisse videtur. Plurima certe

habet ex Orione Thebano, qui cum quinto saeculo floreret, neque ipse Alexandrinos grammaticos consuluit, sed pendet ab auctoritate Ori Milesii, qui Phrynicho suppar fuit ut alibi diximus. Sed de Oro et Orione satisfaciet Ritschelius.

Nondum dixi de duobus lexicis quibus Etymologus usus est, etymologico et rhetorico. Lexicon etymologicum illud cuius fuerit non habeo pro certo dicere. Laudatur p. 670. 30 *πηλεύς*, p. 713. 5 *σίκιμα*, p. 802. 42 *φύλλον*, p. 814. 22 *χρέος* et p. 816. 23 *χωλός*, sed tres loci sunt de quibus dubius haereo quid pronunciem. P. 780. 34 in voce *ὑπήνη* praeter alia quaedam haec legimus: *ἐν δὲ τῷ ῥητορικῷ λεξικῷ εὗρον σημαίνειν τὴν λέξιν μύσακα, γένειον, πώγωνα, ἡ τοῦ ἄνω χείλους τρίχωσις. ταῦτα δὲ εἰς τὸ ἄλλο ἐτυμολογικὸν· εἰς δὲ τὸ αἰμωδ.... εἶχεν οὕτως.* Infra videbimus rhetoricum lexicon quod laudat, Photii esse et revera nunc ut saepe alias, quae ex illo rhetorico lexico laudat, ad verbum conveniunt cum adnotatione Photii. Sed quid lateat sub illo *αἰμωδ* .... nescio. Facile est dicere legendum esse *αἰμωδεῖν* et ad emendationem corroborandam uti possumus p. 789. 6 ubi in voce *φασκώλιον* legimus: *οὕτως εἶχεν εἰς τὸ αἰμωδεῖν*, sed quid hoc sit, multum quaerens non invenio. Facilius dicam quid lateat p. 315. 54 *ἐδεύετο· ἀντὶ τοῦ ἐνδεὴς ἦν ἢ ἐγένετο ἐνδεής· οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἴσης· τοῦτο παρὰ τὸ δέω· ἐν ἑτέρῳ σημαίνει τὸ ἐκορέννυτο, εὐωχεῖτο· ῥητορική.* Primum illud *ῥητορικὴ* indicat glossam e Photio desumtam esse. Etiamsi perierit ea pars Photii in qua illa glossa legebatur, forte fortuna tamen glossa superstes est et salva ad nos pervenit in lexico Bachmanni, ubi observabis verba quidem paullo diversa, sed tamen illud *ἐν ἑτέρῳ* comparet. Addidit, ut mihi videtur, amanuensis Photii, qui similiter addidisse videtur *ἀλλαχοῦ οὕτως* in voce *ὀργεῶνες* et *ἐν ἄλλῳ* in glossa *ὄχετλα*. Supra hoc iam attigi. Sed minor iam erit dubitatio de p. 315. 36 *ἐδέατρος*, quam vocem postquam interpretatus est, Etymologus addit: *οὕτως εἰς τὸ πρῶτον λεξικόν· ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ εὗρον οὕτως· ἐδέατρος· ὁ ἐπὶ τῶν διδύμων καὶ τῆς τοιαύτης παρασκευῆς· ῥητορική.* Noli hinc colligere duo eiusmodi lexica Etymologo ad manum fuisse. Quod additur *ῥητορική*, indicat id quod dixi glossam esse Photii, qui de eo vocabulo referre debuit, nam Etymologus nihil exponit nisi doctrinam Aelii Dionysii, quam novimus ex Eust. p. 1403.

40. Quod Etymologus laudat e *priore lexico*, accurate convenit cum iis quae Eustathius invenit apud Dionysium, neque multum recedit quod Etymologus laudat ex *altero* lexico. Vix opus est nunc addere, quomodo res sese habeat: amanuensis Photii exscripsit utramque Dionysii recensionem; e Photio eius adnotatio fluxit in Etymologicum, verum cum ridiculo vitio, nam quod ἐδέατρος dicitur fuisse ὁ ἐπὶ τῶν διδύμων cras credam, non hodie. Qui προγεύσης erat et προήσθιε τοῦ βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν, erat non ἐπὶ τῶν διδύμων, quod nemo quamvis pudicus sine risu leget, sed ἐπὶ τῶν ἐδωδίμων.

Sed repetamus id quod dixi, Etymologum usurpasse Photium et hunc intelligi ubicunque in fine glossae addatur ῥητορική. Statim etiam apparebit eum usurpasse Photii recensionem paullo pleniorem quam nos habemus. Observatio haec ita comparata est, ut neque utile sit neque fieri possit ut omnes locos qui huc faciant enumerem. Componat mihi quis Photium cum Etymologo; inveniet omnes glossas quibus hic ῥητορική addidit vel εἰς τὸ ῥητορικόν vel simile quid, in Photio adhuc superesse. Inveniet haud raro testes plures adscriptos, uberiorem interpretationem sed id, quod caput rei est, corruptelas easdem. Dabo exempla.

Dubitabis fortasse collatis p. 547. 50 glossa κύρβεις, p. 573. 31 μᾶζα vel p. 682. 55 ποῖ κῆχος, nam his glossis, quamquam multo pleniores sunt quam Photianae, non adhaeret in fine ῥητορική, quod librariorum incuria omissum est. Non magis dabis manus collatis p. 57. 37 ἀλάσωρ et p. 161. 6 ἀσφάραγος, quia non Photius componi potest sed sextum lexicon Bekkeri quod pauciora habet p. 374. 22 et 456. 30. Itaque alia proferam exempla. Photius et Etymologus conveniunt p. 448. 16 θέσθαι et p. 764. 47 τράχηλος, sed plura habet Etymologus p. 737. 15: σφαδάζειν. Photius haec: σφαδάζειν· θράσσειν, δυσθανατεῖν, ματαίως σπᾶσθαι, χαλεπαίνειν, μετ' ὀργῆς σενάζειν. At Etymologus post alia multa haec addit: ἐν δὲ τῷ ῥητορικῷ λεξικῷ εὗρον τὸ σφαδάζειν σημαίνειν τὸ δυσθανατεῖν, ματαίως σπᾶσθαι, χαλεπαίνειν, μετ' ὀργῆς σενάζειν, ὡς Εὐριπίδης καὶ Πλάτων· διὰ παντὸς βίου σφαδᾷ, scilicet pro σφαδασμῶν, nam intelligitur Rep. IX. 579 E. Vides nunc Photium idem esse passum quod caeteri omnes passi sunt: loci quos secundum ve-

terem morem copiose laudarat, ab Epitomatore rescissi sunt magno literarum damno. Sic Photius v. ζῇ· ἀντὶ τοῦ ζῇθι. Εὐριπίδης, sed Etymologus addit duos locos, ex Iphigenia scilicet et e Phrixo. In voce ζητρεῖον desunt apud Photium quos Etymologus laudat duos locos ex Eupolide et Theopompo. Photius v. ζύγαστρον omisit poetae verba servata ab Etymologo. In voce ζωπυρῆσαι apud Photium Menandri versus excidit, cf. Etym. Gud. In voce ἠτριαῖον solus Etymologus servavit duorum Aristophanis locorum memoriam. Sed nihil novi ad meam sententiam confirmandam luculentius quam adnotationem de voce ἱεροποιοί, ubi Etymologus est multo plenior. Itidem in voce κάβαισος de interpretatione inter utrumque convenit, sed solus Etymologus addit vocabulum apud Cratinum inveniri. Photius πομφόλυγες interpretatur: αἱ ἐκ τῶν ὄμβρων ἢ ἄλλως καταφερόμεναι .... Supple ex Etymologo: αἱ ἐκ τῶν ὄμβρων ἢ ἄλλων καταφερομένων ὑδάτων ἐπὶ ὕδασιν εὐδιάλυτοι κυρτώσεις. Confusae sunt in unum apud Photium glossae τερθρεία et τὴν ἐν τοῖς δύο μέρεσι καλουμένην μάχην. Eandem confusionem observabis in Etymologico. Prorsus eadem res est apud utrumque in glossa τοκάδα, quae coaluit cum proxima τὸ κηρύκειον. Hoc certe non fortuito factum esse dices. In Etym. v. τευτάζειν additur in fine ῥητορική· nempe excerpta est e Boethi adnotatione apud Photium, qui nunc plura habet. Uterque habet τριπαία pro τροπαία. Vide porro glossas τηλία, τραπεζοποιός, τρικαλίνδητος, τρύζει, σκορδινᾶσθαι, ὑποσακίζεται, ὑποσμύχουσα, ὕπουλα, Φαρμακοτρίβαι, Φαρυγίνδην, Φάλος, Φῶς, alias multas; videbis Etymologum adscribere in fine ῥητορική· convenire Photium etiam in vitiis.

Nunc monendum est, ne quis erret in clara luce, lexicon rhetoricum quo Etymologus usus est, revera Photii fuisse non Philonis, quod suspicari quis possit ob ea quae leguntur p. 255. 32, ubi laudatur Philonis ῥητορικόν. Cave credas umquam tale lexicon fuisse. Philo scripsit quod affert saepe Etymologus, ῥηματικόν et hoc ipsum vocabulum reponendum est.

Non dimittam Etymologum, nisi iis locis exploratis quibus Photius nomine laudatur. In expositione vocabuli Κρόνος additur in fine Φώτιος ὁ πατριάρχης, sed nil simile invenitur in lexico. Neque crediderim hunc locum e Lexico petitum esse, non adeo

quia observatio eius generis est quales in Patriarchae lexico non leguntur, sed quia in Etymologico Gudiano non additur quod dixi, sed οὕτως ἐγὼ Φώτιος ὁ πατριάρχης. At non solet Photius in lexico addere οὕτως ἐγώ, neque addere potest, quia non ipse composuit sed amanuensis, ut saepe dixi. Certiora proferri possent de Etymologi glossa κορεσθῆναι, in qua in fine additur Φώτιος, sed ea pars operis in Galeano Codice periit. Etymologus p. 613 in v. ὀβελίσκος addit: Φώτιος δὲ ὁ πατριάρχης ὀβολὸν κληθῆναί φησιν ἐπειδὴ τὸ ἀρχαῖον χαλκοῦν νόμισμα τῶν Ἀθηναίων ὀβελίσκον εἶχεν. Ἀριστοφάνης δ' ἐν Βατράχοις· ναύτης διάξει δύ' ὀβολὼ μισθὸν λαβών.: Φεῦ. Ὡς μέγα δύνασθον πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ. Ex istis nihil apud Photium est reliquum praeter haec: ὀβελός· ὀβελίσκος. Ultimo loco haec considera apud Etymologum: ἡγητηρία· παλάθη σύκων ἦν, ἣν ἐπὶ τῇ πομπῇ τῶν πλυντηρίων Φέρουσιν ὅτι ἡμέρου πρώτης ταύτης τροφῆς ἐγεύσαντο ἢ διὰ τὸ πρῶτον τοῖς ἀνθρώποις εὑρῆσθαι σῦκον, ἱερὰ συκῆ τὸ δένδρον κέκληται καὶ ὁ τόπος ἱερὸς παρ' Ἀθηναίοις ἐν οἷς πρῶτον εὑρέθη τὸ δένδρον καὶ ἀπ' αὐτῆς καρπὸς ἡγητηρία· οὕτω Φώτιος ὁ πατριάρχης. Qui revera in lexico: ἡγητηρία· παλάθη ἦν σύκων ἣν ἐν τῇ πομπῇ τῶν πλυντηρίων Φέρουσιν, ὅτι ἡμέρου τροφῆς πρώτης ταύτης ἐγεύσαντο· tum habet glossam ἱερὰ συκῆ· οὕτω λέγεται ἡ παρὰ τὴν Ἐλευσῖνα ὁδός, ubi explicatio excidit, nam quod additur pertinet ad explicandum ἱερὰ ὁδός. Ex Etymologi diserto testimonio locum supplere poteris.

Hoc unum restat monendum; quamquam periculosum est suspicionibus alias suspiciones superstruere velle: cum noverimus ex iis quae disputavi ad sextum lexicon Bekkeri, Suidam nactum esse Photii Codicem, in quo deinceps tot essent vocabulorum series, quot lexica amanuensis excerpsisset, ac praeterea idoneis argumentis demonstraverimus Codicem Photii quo Etymologus usus sit, Galeano haud parum fuisse pleniorem, probabiliter sumi posse talem quoque Codicem qualem Suidas habuerit, nactum esse Etymologum; postea autem librarium turbatum verborum ordinem emendasse sed eadem opera auctoritates illas delevisse, quas partim e Suida, partim ex Etymologico, partim ex Bachmanni et Bekkeri lexicis Photio haud sine veri specie vindicaverimus. Quae si probabuntur, jam de ingenti glossarum numero liquido constabit, per quas manus propagatae ad haec

usque tempora perduraverint. Desinant laudari aliquando sequiores grammatici, ut ad vetustissimum auctorem quidque referatur, nam sic demum suo pretio aestimabitur.

§ 21.

De quinto lexico Bekkeri.

Difficile est negotium dicere supra quinto lexico Bekkeri, nam desunt clara indicia, quibus certo cuidam grammatico assignes, sed in disquisitione de Photii fontibus neque silentio praeterire debeo, neque nihil est quod de opusculo hoc mihi observasse videor. Nemo fuit qui de nostro scriptore dixit ante Ruhnkenium, cuius haec sunt verba in praefatione ad Hesychium: »Cum Parisiis studiorum causa versarer, inter alia lexica antiqua necdum edita, quae Bibliotheca Sangermanensi continentur, descripsi lexicon Rhetoricum bonae frugis plenissimum atque ad ius Atticum explicandum imprimis comparatum. Hoc lexicon decimo saeculo in membrana scriptum sive Codicis illius librarius sive alius eo antiquior passim interpolarat Hesychii glossis. At qualis Hesychii? Non truncati, mutili, corrupti, quo nunc melioris desiderium levamus sed integri, illibati et omni labe carentis. Interpolator vero Hesychianas glossas largius inferserat literis A B Γ parcius literis Δ Z K Ξ, reliquas ne attingens quidem," cet. Quod hic posuit Ruhnkenius, id fidem non invenit apud Rankium qui in disputatione de vera origine lexici Hesychiani p. 16 tribus verbis significat, se a Ruhnkenii sententia discedere, quod nemo mirabitur qui ipsum Ruhnkenium viderit quam strictim totam rem attigerit. Ne hoc quidem animadvertisse videtur literam Ω fere totam ex Hesychio in nostrum lexicon fluxisse, sed post Ξ literam taedium credo fecit ut conferendi laborem omiserit. Equidem utrumque lexicon accuratissime contuli et Ruhnkenio duce, vidi verum esse quod supra posui, sive Hesychii sive librariorum culpa in Codice Marciano multa quidem deesse, quibus Diogenianus in excerpendo pepercerat, lemmata vero pleraque omnia superesse. In lexico Bekkeri autem minime superest illibatus et integer Diogenianus, sed insunt glossae aliquammultae ita ex eo excerptae, ut modo plura

servaverit quam Hesychius, modo pauciora. Itaque liber utilissimus est ad Hesychii emendationem. Quam ad rem explicandam, singulas glossas numeris distinguam, quod lectoribus quidem non satis commodum erit, sed aliter ostendi nequit, quae necessitudo inter utrumque opus intercedat.

Conflatum esse nostrum lexicon ex aliis fontibus et sponte apparet et colligi potest e glossarum ordine, quae ita *κατὰ στοιχεῖον* descriptae sunt, ut plerumque primae tantum cuiusque literae ratio sit habita, sed interdum repente per aliquot glossas idem observetur quod in Hesychio deprehendimus aliisque, scilicet ut glossae secundum omnium literarum ordinem sese accurate excipiant. Ac statim in litera A nullus ordo observatur sed a glossa 33 usque ad glossam 54, a gl. 146 usque ad gl. 162 et a gl. 211 usque ad gl. 230 in serie constituenda omnium literarum ratio est satis accurate habita. In litera B a glossa 38 fere usque ad finem, h. e. per glossas quinquaginta, ordo turbatur quidem hic illic, sed remanent vestigia satis manifesta. In litera Γ a glossa 29 usque ad glossam 112 omnia accurate decurrunt *κατὰ στοιχεῖον* secundum nostrum morem. In litera E duplex series est a glossa 36 usque ad gl. 176 et a gl. 177 usque ad gl. 191. Itidem series duplex est in litera Z. In litera H servatur literarum ordo a gl. 10 usque ad gl. 21, in litera Θ a glossa 2 usque ad finem, in litera I a gl. 5 usque ad gl. 21, in litera K a glossa 10 usque ad gl. 97. Tum in sequentibus ordo turbatur sed in extrema litera Ω denuo apparet a glossa 4 usque ad finem.

Sequitur ut dicam quem usum illa observatio habeat. Nempe iis locis omnibus quibus literarum ordo servatur, tenemus *plerumque* excerpta e Diogeniano. Constat ex eo deprompta esse quaecumque legantur *α*. 146—162, 211—233, *β*. 38—fin et quod imprimis memorabile est, *γ*. 29—112 et *ω*. 4—fin. Alibi quoque agnosco Diogenianum in turbato verborum ordine sed loci quos indicavi, quippe ex continua serie, sunt imprimis utiles, primum quia paucissimas homericas et sacras admixtas habent, unde jure colligere mihi videor eos e Diogeniano excerptos esse ac minime ex Hesychio, tum quia *in continua serie* glossarum quas nostrum lexicon cum Hesychio communes habet, paucae tantum admixtae sunt, quae nunc apud Hesy-

chium prorsus desunt, unde valido argumento egregie confirmatur quod saepe dixi, in Hesychii lexico lemmata Diogeniani non adeo multa excidisse. Denique est ea observatio utilis ad Hesychium supplendum et emendandum, de quo negotio Ruhnkenius iam saepe dixit in Auctario. Dabo quaedam exempla, sed quia res cum Photio non arctissime cohaeret, alia multa aliis sciens relinquam.

Primum laudabo glossam α. 70: ἀκροθίνιον· κυρίως μὲν ἡ τῶν θινῶν ἀπαρχή· θίνες δέ εἰσιν οἱ τῶν πυρῶν καὶ τῶν κριθῶν σωροί· καταχρηστικῶς δὲ ἡ ἀΦ' ὁτουοῦν ἀπαρχή. Haec servavit Hesychius: ἀκροθινίων· ἀπαρχὴ τῶν θινῶν· Θίνες δὲ εἰσὶν οἱ σωροὶ τῶν πυρῶν ἢ κριθῶν· ἢ πᾶσα ἀπαρχή. Desumta haec videntur e tragico lexico, cf. Schol. Eur. Phoen. 210.

In voce αὐχμοί Hesychius nil praeter αὐχμοί· ἀνομβρίαι, sed supple e glossa α. 77: αἱ ἀνομβρίαι ἀΦ' οὗ καὶ αἱ ἐκπυρώσεις τῶν Φυτῶν καὶ ἀΦορίαι καὶ ἀκαρπίαι.

Mutila glossa est apud Hesychium ἀμΦίθυρος οἰκία· ἔχουσα ἀμΦοτέρωθεν οἰκίας. At supple ex α. 84: ἡ ἔχουσα ἑκατέρωθεν θύρας Φερούσας ἔξω εἰς τὴν ὁδόν. Cf. Soph. Philoct. 158.

In glossa ἄγειν καὶ Φέρειν Hesychius: τὸ λῃστεύειν καὶ ἁρπάζειν· haec tantum. At in lexico Bekkeri: ἀντὶ τοῦ λῃστεύειν καὶ ἁρπάζειν· ἤγετο μὲν τὰ ἔμψυχα, ἐΦέρετο δὲ τὰ ἄψυχα.

In glossa ἀνωμαλία apud Hes. interpretatio excidit. Apud Bekkerum α. 188: ἀνωμαλία· καὶ ἡ ἀνισότης καὶ ἡ νῆσος. Corrigam: καὶ (ἀνώμαλος) ἄνισος.

Grave vitium concepit Hesychii glossa ἀμνόν· μᾶλλον. ἢ τὸ ἄρτι τεχθὲν πρόβατον. Compone Bekk. α. 97: ἀμνὸν καὶ ἀμνήν· τὸ βραχὺ καὶ νεογνὸν καὶ ἄρτι τεχθὲν πρόβατον. Fugit M. Schmidtium ΜΑΛΛΟΝ ortum esse ex AMNON. Quod Eustathius de hac voce invenit in lexicis suis rhetoricis p. 1627. 13, hoc descripsit quoque Photius, a quo Suidas accepit.

Adnotat Hesychius ἀγορά· ὄνομα τόπου ἢ λιμένος. Θετταλοὶ δὲ καὶ τὸν λιμένα ἀγορὰν καλοῦσιν. Addit grammaticus Bekk. α. 170: Κρῆτες τὴν ἐκκλησίαν, παρ' Ὁμήρῳ καὶ πάντα ἀθροισμόν.

Consideremus nunc eam seriem a gl. 211 ad gl. 230, quae e Diogeniano fluxisse videtur. Supplendus est Hes. ἄγονον· πήγανον ἢ πολύγονον· at Bekk. α. 211: ἄγονον· πήγανον μεγαλοπρεπές, πρᾶον παρ' ἐνίοις ἢ ἄγνος. Hes. ἀγορὰ Ἀργείων· τόπος

Ἀθήνησιν οὕτω καλούμενος. At Bekk. α. 213 exp. καὶ ἐν τῇ Τρωάδι τόπος καὶ Ἀθήνησιν. Desunt contra apud Hes. glossae 212 ἀγόντων, 215 ἀγορητάς, 218 ἄγος, 221 ἄγροικος, 223 ἀγρῶσαι, 226 ἀγυρτώδη, 228 ἀγχίθυρος. Equidem Hesychii Codicem hic lacunosum esse arbitror neque puto tantum glossarum numerum ex universo lexico excidisse, quantus ex hoc specimine videri possit, nam in literis B et Γ, quibus continetur, ut dixi supra, longa series glossarum ex Hesychio petitarum, vix una et altera est cuius lemma in Codice Veneto desit. Fac periculum et videbis.

Nunc vide Hesychii glossam αὐτοβοεί· τὸ παραχρῆμά τι συντελεσθῆναι ἐν πολεμικοῖς ἔργοις· ἅμα βοῇ Θουκυδίδης. At Bekk. α. 247: (τὸ) παραχρῆμά (τι) συντελεσθῆναι ἐν πολεμικοῖς ἔργοις, οἷον ταχέως καὶ ἅμα τῷ πολεμικῷ ἀλαλαγμῷ· οὕτω Θουκυδίδης· παρὰ Θεοπόμπῳ δὲ ἀντὶ τοῦ κατὰ κράτος. Mox pauca supersunt apud Hesychium e glossa α. 249: Ἄβυδος· ἐπὶ συκοφάντου τάττεται ἡ λέξις, διὰ τὸ δοκεῖν συκοφάντας εἶναι τοὺς Ἀβυδηνούς· καὶ Ἀβυδοκόμης· ὁ ἐπὶ τῷ συκοφαντεῖν κομῶν· τοιοῦτοι γὰρ οἱ Ἀβυδηνοί. Hes. habet ἀνθερεών· ὁ ὑπὸ τὸ γένειον τόπος, ἀφ' οὗ μέρους ὁ πώγων ἄρχεται. Addit Bekk. α. 253: καὶ βοτάνη δέ τις ἀνθερεὼν καλεῖται. Hes.: Ἀνθεσηριάδας· τὰς ἐχούσας ὥραν γάμου, Ῥόδιοι. Addit Bekk. α. 254: μηδέπω δὲ γεγαμημένας. Hes.: ἀποκήρυκτος· ὁ ἐφ' ἁμαρτήμασιν ἐκπεσὼν τῆς πατρῴας οἰκίας. Supplet Bekk. α. 256: ἐκποίητος δὲ ὁ ἑτέρῳ δοθεὶς εἰσποιήσασθαι· οὕτως Ἐρατοσθένης.

Addam glossas in litera α, quae totidem verbis apud Hes. leguntur: 4, 27, 28, 147, 148, 151, 153, 158, 159, 161, 191, 214, 219, 225, 227, 229, 243, 245, 252, 255, 290. Aliae sunt ubi Hesychius plura habet quam grammaticus Bekkeri, nempe 19, 58, 74, 125, 157, 160, 169, 185, 189, 207, 208, 209, 216, 220, 224, 235, 246.

Videamus de litera B; cuius ea pars quae κατὰ στοιχεῖον conscripta est, multa habet cum Hesychio communia. Ac statim vide ap. Hes. βασσάραι· χιτῶνες οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι βάκχαι. Addit Bekk. β. 38: καλούμενοι οὕτως ἀπὸ τοῦ Βασσαρέως Διονύσου· ἦσαν δὲ ποικίλοι καὶ ποδήρεις. Sine sensu editur apud Hes. βρενθύεσθαι· θυμοῦσθαι, ὀργίζεσθαι, ἀξιοπιστεύεσθαι, δυσχεραίνεσθαι, προσποιεῖσθαι. Rectius Bekk. β. 42: βρενθύεσθαι· διὰ

θυμὸν μετεωρίζεσθαι, ἢ προσποιεῖσθαι ὀργίζεσθαι. Hes. habet βρένθις· θριδακίνη, Κύπριοι., et βρένθον· μύρον τι ὡς βάκκαρις· οἱ δὲ ἀνθινὸν μύρον· καὶ ὄρνεον βρένθος ὅπερ ἔνιοι κόσσυφον καλοῦσι. At Bekk. β. 49: βρένθειον· μύρον τῶν παχέων ὡς ἡ βάκκαρις· οἱ δὲ ἄνθινον μύρον· καλεῖται δὲ καὶ ὄρνεόν τι βρένθος, ὃν ἔνιοι κόσσυφον. Κύπριοι δὲ βρένθιν τὴν θρίδακα λέγουσιν. In Hes. gl. βρεττία excidit πίσσα, restituendum e β. 53. Hes. exp. βέβηλον· τὸ μὴ ἱερὸν καὶ ἄθεον· καὶ ἀβέβηλον. . . . Supplebit β. 57: καὶ ἀβέβηλα τὰ θεῖα· οἱ δὲ τὸ βάσιμον χωρίον καὶ ὅσιον μὴ καθιερωμένον τε θεῷ, ἐφ' οὗ κέχρηται καὶ Θουκυδίδης ἐν τῷ τετάρτῳ (c. 97). Hes. habet: βέβλωκεν· ἠρεμεῖ, φύεται. Addit Bekk. β. 58: φαίνεται· βεβλωκὼς δὲ ἐληλυθώς. Non satis mirari possum M. Schmidtium, quamquam memor fuit Hom. Odyss. ρ. 190: δὴ γὰρ μέμβλωκε μάλιστα ἦμαρ, non vidisse pro ἠρεμεῖ φύεται reponendum esse ἡμέρα φαίνεται. Sequuntur glossae 62. 63. 64 βαθμός, βαθμοί, βάθος, quas cum Hes. composuit novissimus Editor. Sequitur β. 65: βάθρον· βῆμα (καὶ τὸ ἐφ' οὗ καθέζομεν καὶ) ἡ βάσις (τοῦ ἀνδριάντος καὶ τὸ) ὑποπόδιον (καὶ τὸ ὑπόδημα ὃ καὶ ἐμβάς). Ex his exciderunt apud Hes., quae uncinis notavi. Exponit Hes. quid sit βαίτυλος (Bêt-el Hebraeorum)· οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. . . Excidit etymologia quam pete ex β. 66: παρὰ τὸ τύλον ὄντα κεκρύφθαι. Hes. habet glossam βατῆρα· τὸ ἄκρον τοῦ σκάμματος τῶν πενταθλων ἀφ' οὗ ἅλλονται τὸ πρῶτον. Addit Bekk. β. 67: Σέλευκος. Σύμμαχος δὲ τὸ μέσον ἀφ' οὗ ἁλάμενοι πάλιν ἐξάλλονται· ἄμεινον ὡς Σέλευκος· σημαίνει δὲ καὶ τὸν τῆς θύρας οὐδόν, ὃν Ὅμηρος βηλόν, οἱ δὲ τραγικοί βαλόν. Indidem h. e. e Diogeniano sua habet Aelius Dionysius apud Eustath. p. 1404. 55. In glossa Hes. βάτια· ὁ τῆς συκαμίνου καρπός., restitue e Bekk. β. 69: ὑπὸ Σαλαμινίων. Glossa β. 74 ita legitur: βάκχος· ὁ ἱερὸς Διονύσου ἀνήρ, καὶ κλάδος ὁ ἐν ταῖς τελεταῖς. (ὡς δὲ ἔνιοι σεφάνους ὑπὸ Δωριέων)· οἱ δὲ τὸν φανὸν βάκχον· καὶ ἰχθὺς· (οἱ δὲ ὄμβρικος (?) ὑπὸ Ἁλικαρνασέων βάκχος). Accedant Hesychio ea quae uncinis signavi. Itidem desunt apud Hesychium quae eodem modo indicabo in glossa β. 77: βάλανοι· τὰ ἐξηρτημένα τῶν ὅρμων· καὶ ὁ τῶν δρυῶν καρπὸς· (κυρίως ὑπὸ Ξενοφῶντος) καὶ οἱ τῶν Φοινίκων. καὶ αἱ κλεῖδες (βάλανοι, καὶ τὰ ἐμπίπτοντα τῇ κλειθρίᾳ. Κρῆτες δὲ τὰ ἀμύγδαλα βαλάνους·) οἱ ἰατροὶ δὲ

βαλάνους τὰ ἐντιθέμενα τῇ ἕδρᾳ λέγουσιν. In seq. glossa rectius β. 78: βάσιμον· εὔπλωτον, εὐεπίβατον. Vide quoque glossam β. 90: βήρηκες· μᾶζαι ὀρθαί, οἱ δὲ ἁπλῶς μάζας ἐπάνω κέρατα ἐχούσας· huc usque Hes., tum addit grammaticus Bekk.: παρὰ Λακεδαιμονίοις δὲ τὴν ἑορτὴν Βηρηκίαν λέγεσθαι, ἐν ᾗ τοῖς θύουσι προτιθέασι τοὺς βήρηκας. His igitur locis grammaticus Bekk. Hesychio plenior est. Contra in utroque lexico conveniunt β. 39. 40. 50. 59. 60. 61. 70. 71. 72. 80. 82. 85. 86. 87. 88. Plura habet Hesychius quam grammaticus Bekk. gl. 54. 55. 73. 75. 76. 83. 84 et 92. Pauca lemmata Bekkeri in Hesychio prorsus evanuere; potiora sunt 51: Βρεττηνοί et 79: βραδυπλοήσας, quae *continua* series glossarum Hesychianarum apud Bekkerum satis demonstrat unde desumta sint.

Non est alia litera quae plura Hesychiana continet quam Γ. In ea iam notavimus longam vocabulorum seriem, quae fere tota illinc sumta est. Hesychius supplendus est in glossis quae sequuntur. Habet interpretationem vocabuli γαῖσος· ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον. καὶ ὄνομα ποταμοῦ. οἱ δὲ μισθόν. ἢ ὅπλον ἀμυντήριον. At plenius Bekk. γ. 41: γαῖσος· ἐμβόλιον σιδηροῦν τριήρων.. δὲ τὴν Φωνὴν ἐπὶ τῶν ἀκοντίων ἃ Ῥωμαίους καλεῖν ὑσσούς. Ἰταλιῶται δὲ καὶ Ταραντῖνοι γαῖσον τὸν μισθὸν λέγουσιν, in quibus pro τριήρων corrigam Ἰβήρων ex Athen. VI. 273, sic: ἐμβόλιον σιδηροῦν· Ἰβήρων δὲ τὴν Φωνὴν (φασι) ἐπὶ τῶν κτἑ. Unde Hesychius explicationem acceperit, quam vides eum excerpendo pessumdedisse, nunc casu constat diserto testimonio Scholiastae a Montefalconio editi ad Josuae c. 8. 18: ὁ δὲ λεξικογράφος Διογενιανὸς ἐμβόλιον εἶναι ὁλοσίδηρον, ἄλλοι δὲ ἀκόντιον, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ὑσσόν. Nota porro Pausaniam quoque apud Eust. p. 544. 12 Diogeniani scrinia compilasse; sed non supervacaneum erit observare locum in lexico Bekkeri ex eius opere non esse excerptum; obstat enim ipsa vocabulorum series, quae tota e Diogeniano excerpta est. Iterum Hesychius mutilus est in voce γαίων· γαυριῶν. At in Bekk. γ. 42: γαίων· ἱλαρός, γαυριῶν, τερπόμενος· γαίουσα δὲ ὑπερφρονοῦσα· γαίεσκον δὲ ἔχαιρον. In glossa Bekk. γ. 46: γαλαξία· (ἑορτὴ Ἀθήνησι μητρὶ θεῶν ἀγομένη) ἐν ᾗ ἕψουσι τὴν γαλαξίαν· ἐστὶ δὲ πόλτος κρίθινος ἐκ γάλακτος. Desunt apud Hes. quae uncinis significavi. Componendae sunt Hes. gl. Γαληψός· παίζει μὲν Εὔπολις, παρὰ τὸ

λαμβάνειν· ἔσιν δὲ καὶ πόλις. καὶ βοτάνης εἶδος: et Bekk. γ. 51: Γαληψός· πέπαικται ἀπὸ τοῦ λαβεῖν. ἔσι δὲ καὶ βοτάνη τις οὕτω καλουμένη, καὶ πόλις Μακεδονίας. Vide quoque γ. 67: γαυλόν· κάδον· καὶ (γαυλοὶ) παρ' Ὁμήρῳ (τὰ ποιμενικὰ ἀγγεῖα τοῦ γάλακτος)· λέγεται δὲ καὶ Φρέατος ἀντλητήριον γαυλός· καὶ ἐν ᾧ τὰ πλοῖα ἀντλεῖται κάδος· (καὶ τὰ Φοινικικὰ δὲ πλοῖα γαυλοί καὶ γαυλικὰ χρήματα) παρὰ Ξενοφῶντι (τὰ ἀπὸ τῶν πλοίων). Hesychius ea tantum habet quae uncinis inclusi, tum addit in fine: τινὲς δὲ καὶ τὰς χύτρας γαυλοὺς καλοῦσι. Hes. exp. γαυσόν· σκαμβόν, στρεβλόν. Addit Bekk. γ. 69: χωλόν, διεστραμμένον. Γεῖσα dicuntur Hesychio αἱ ᾠαι τοῦ ἐνδύματος, nempe ex Aristophane, cf. Bekk. γ. 74. Habet Hes. γεισιποδίζειν, sed omisit adnotare quid sit γεισίποδες, quod nunc pete a Bekk. γ. 75. Plura quoque Bekk. 81 et 83 in vocibus γενεά et γενναῖος. Habet Hesych. monstrum vocabuli γενούσης, addit Bekk. γ. 86 παρὰ Πλάτωνι ἐν Φιλήβῳ, vides igitur quam vetus corruptela sit, cuius emendatio nunc facile eruitur e Codice Bodleiano. Similiter invenies plura ab grammatico Bekk. servata esse in glossis γ. 89 γέρανος, 98 γίγαντος, 101 γλαὺξ ἔπτατο, 105 γλυκυθυμία, 106 γνύπετον, 107 γνῶθι σαυτόν et 112 γόργυρα.

Convenit uterque grammaticus in glossis γ. 30. 31. 33. 38. 39. 40. 43. 44. 45. 47. 49. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 60. 61. 62. 63. 65. 66. 70. 71. 72. 73. 76. 77. 78. 84. 88. 91. 92. 94. 95. 97. 99. 102. 108. 109. Plura Hesychius habet in glossis 32. 34. 35. 37. 48. 56. 64. 68. 79. 81. 82. 96. 110.

Exciderunt ex Hesychio Bekk. glossae γ. 29. 85. 90. 93. 95. 100 h. e. sex inter octoginta tres, neque eae magni momenti et praeterea in Bekkeri Codice fortasse aliunde interpolatae. Hoc maxime argumento uti debere existimo qui probare velit ex Diogeniano pauca lemmata apud Hesychium desiderari. Mihi quidem res nunc manifesta videtur.

In litera Δ glossae Hesychianae sunt multo pauciores ac fortasse prorsus nullae post viginti primas. Hesychius aliquid lucratur e glossa 11, quae tamen plenior est apud Harpocrationem, 13 διδάσκαλος χοροῦ et 20 δεκάζειν. Aliae sunt quae ad verbum conveniunt, quae omnia aliquando accurate notabuntur in utilissimi lexici nova editione.

Litera Z paucarum glossarum est, sed observabis dimidiam fere partem ex Hesychio esse, quem illinc supplebis in v. *ζακυνθίδες*.

Itidem non multa Hesychiana insunt literae K. Potiora sunt in glossis 11 *καθέδραι* ubi Photium compone, 15 *καλαμίτην*, 44 *κέρκος* in qua confusa esse animadvertes *οὐρὰ* et *θύρα*, 95 *κῶμαι*, 111 *καταπροίξει* et paucis quibusdam aliis.

Litera Ξ decem tantum glossas habet, sed ex his sex sunt e Diogeniano, omnes una excepta Hesychianis multo pleniores, nempe 1 *ξενίζειν*, 6 *ξανθίζεσθαι*, 7 *ξάνιον*, 9 *ξυσίς*, 10 *ξύσον*. Nota ξ. 6 *ξανθίζεσθαι· τὸ κοσμεῖσθαι τὰς τρίχας Λάκωνες, Ἀττικοὶ τὸ βάπτεσθαι τὰς τρίχας.* Observatio confusa videtur, sed, nisi omnia me fallunt, vetus grammaticus quaedam tradiderat non de Laconico verbo *κοσμεῖσθαι* sed *σμῆσθαι*.

Has igiter literas notarat Ruhnkenius, verbo rem attingens in celebrata Praefatione ad Hesychium, sed casu omisit indicare literam Ω, quae fere tota ex Hesychio derivata est; sunt enim tres tantum glossae ab initio aliunde assutae, caeterae omnes aliquid conferunt ad Hesychii emendationem. Instar omnium sunt glossae *ὠλίγγην* et *ὠσχοί*.

Neque illud sine animadversione dimittam, quod Ruhnkenius affirmat, grammaticum ceteras Hesychii literas ne attigisse quidem. Sunt alibi vestigia multo rariora, sed prorsus deesse non dixerim. Veluti in litera E cum Hesychio componam glossas 2. 4. 5. 6. 7. 15. 20. 23. 24. 27. 30; tum in sequentibus glossis quae fere *κατὰ στοιχεῖον* decurrunt, vestigia rarescunt. In litera H vide glossas 2. 3. 5, sed ibi Hesychius plenior est. In litera Θ gl. 2. 3. 5. 30, quae et ipsae non multum conferunt ad Hesychii emendationem. In litera I gl. 4. 15. 16; in literis Λ M N O parum est quod huc facit, si exceperis in O litera gl. 20. 21. 22. In litera Π contulerim gl. 17 et 80, in litera Σ gl. 80, cet.

Multae sunt glossae de quibus ambigas, utrum grammaticus eas ex Hesychio habeat an aliunde; exemplo sit glossa δ. 11 *δεκατεύοντες*, de qua Hesychius fere eadem refert quae Harpocration, uterque secutus doctrinam veterum Alexandrinorum. Tales igitur glossas grammaticus haurire potuit, tum e Diogeniano, tum e rhetoricis lexicis, quibus illa aetas abundabat.

Sed missis illis glossis de quibus alii aliter judicabunt, si resecueris omnia quae certo certius ex Hesychio sunt, praesertim in literis B, Γ, Ξ et Ω, ubi ipse numerus et non interrupta series rem extra controversiam ponit, operae pretium est videre omnes glossas de quarum origine judicium ferre possimus, paucissimis exceptis, pertinere ad usum Oratorum. Hinc contuli nostrum lexicon cum Harpocratione et vidi e glossis fere mille et sexcentis, quibus libellus constat, quadringentas glossas et quadraginta eadem lemmata habere, quae apud Harpocrationem quoque videas, sed interpretatio, quamquam haud raro ad verbum convenit, plerumque paullulum diversa est: auctoritates scriptorum tantum non ubique sublatae sunt, sed in ipsa interpretatione modo hic modo ille plenior est. Ne umbra dubitationis supersit, confer α. 88: ἀβρότων et β. 21: βλιμάζειν. Sed haec res quam ὁ βουλόμενος οἷς σχολή ἐστιν comperiet verum esse, nam nihil attinet cumulare exempla, velis nolis cogit ut statuas utrumque grammaticum doctrinam suam indidem derivare, quo egregie confirmatur quod supra disputavi, Harpocrationis opusculum quod nunc habemus, excerptum esse e veteribus commentariis haud parum lautioribus.

Neque quemquam fugiet qui hanc rem susceperit examinandam, in permultis glossis nostrum grammaticum eadem tradere atque Photium, unde reperietur quoque saepe cum Etymologo convenire, quem Photio usum esse demonstravimus, cf. μ. 46, π. 161, φ. 27. Quaeritur uter alterum descripserit. Respondeo: neuter. Primum in eadem re explicanda modo hic, modo ille plenior est et doctior. Tum Photius certe non voluit excerpere parvum libellum et nihil ad praestantiam lexicorum rhetoricorum quae sequebatur, neque noster excerpsit Photium. Si fecisset, deprehenderem in excerpto quamvis mutilo interpretationes locorum poetarum quos Dionysius e Diogeniano habet, et eximias observationes de dialecto Attica, quae in Photii lexico singulis paginis pellucent, sed hic admodum rarae sunt ut τ. 47 et υ. 21. Grammaticus autem Bekkeri, proscriptis Hesychianis glossis quarum alia est ratio, tantum non ubique se continet intra usum orationis solutae. Vides iam quid sequatur. Haec si recte disputata sunt, nec puto infringi posse, quia satis constat de fontibus Photii, sequitur nostro

lexico inesse debere excerpta e Pausaniae lexico. Si nihil aliud afferrem, iam suspicio videri deberet haud nimis improbabilis, sed quia ex Eustathio cognita habemus aliquammulta Pausaniae fragmenta, conjectura per se satis verisimilis argumentis stabiliri et confirmari potest.

Prima glossa quae huc pertinet est α. 61: *ἀκροσόλιον τριήρους· τὸ ἄκρον τῆς πρύμνης τὸ ἀνατεταμένον εἰς τὸ ἄνω μέρος*, in qua observatione quamvis lacera agnosco Pausaniae doctrinam, quam Eustathius servavit p. 1039. 40. Eodem modo cf. α. 93 *ἄμιππος* cum Eustath. p. 1539. 24; ε. 47 *εἰρεσιώνη* cum Eust. p. 1283. 6; θ. 20 *θριπήδεσον* cum Eust. p. 1403. 33; κ. 20 *καυσία* cum Eust. p. 1399. 5; κ. 48 *κελέοντες* cum Eust. p. 884. 7; κ. 54 *κιχλισμός* cum Eustath. p. 1880. 61; κ. 94 *κυμβεῖον* cum Eust. p. 584. 19; ψ. 7 *ψαισά* cum Eust. p. 1445. 59. Exempla sunt multo pauciora quam vellem et nullo modo efficere possunt ut res omni dubio maior videatur, sed Eustathius parum curat adnotationes de iure Attico, quae tamen fere solae in nostrum lexicon transiere. Itaque magis fortasse persuadebit id quod facile comperies verum esse, multo majorem lemmatum numerum etiam in Photio inveniri, multa quoque in Harpocratione, ita tamen ut paulo maior sit convenientia Photii quam Harpocrationis. Compone v. c. cum utroque glossam σ. 11: *συγγραφεῖς*. Unde si quis contenderet nostrum grammaticum sequi alium, qui ipse rhetoricas glossas indidem haberet atque Dionysius, Pausanias et Harpocration, quos omnes ex eodem fonte hausisse supra demonstraverim, nihil sane haberem quod reponerem, nisi observassem corruptelarum aliquam similitudinem. Qui v. c. apud Cretenses Κλαρῶται vocantur, apud Photium v. *πενέσαι* nomen habent Καλαρῶται, apud Eust. p. 295. 29 Ἀρόττται, apud nostrum π. 50 Καροταί. Sed alii fortasse plura de hoc argumento expiscabuntur.

Interdum grammaticus noster et Dionysius conveniunt, neque tamen miror cum sciam Dionysium et Pausaniam saepe eadem tradidisse. Exempla habes in glossis δ. 75 *διαβασιλίζεται* coll. c. Eust. p. 1425. 40 et θ. 2 *θαλλός* cum Eust. p. 1557. 32.

Cavendum tamen est ne quis putet nihil hoc lexico contineri praeter Pausaniae excerpta. Planissime agnosco alia quaedam sed non habeo quomodo in singulis rem accurate definiam.

Veluti certe non fortuitum est quod in complusculis glossis fere continuis diserte notatur usus loquendi oratorum. En exempla: α. 257: ἄξιον· τὸ ἄξιον παρὰ τοῖς ῥήτορσι καὶ ἐπὶ τοῦ δικαίου τέτακται· α. 261: ἀρχαίου· ἐχρήσαντο τῷ ἀρχαῖον πάντες οἱ ῥήτορες· et ad eundem modum α. 271 ἀπειπεῖν, 274 ἀποσελλόμενοι, 275 ἀπολαχεῖν, 276 ἀσπαλιεύεσθαι, 277 ἀσέλγεια, 278 ἀμύνεσθαι, 279 ἀμείβεσθαι, 280 ἀτυχεῖν, 284 ἀσκεῖν, 285 ἀποδεδύσθαι et 288 ἀνατιθέναι. Simile quid in toto lexico nusquam recurrit nisi forte δ. 76. 77. 79. 81 et 82. Alibi frustra quaeres.

Paene oblitus eram monere inesse quasdam glossas Platonicas neque tamen multas. Exempla habes α. 294 ἀρισίνδην, cuius emendationem a Suida pete et ο. 21 ὀξυλαβῶν, qua glossa usus sum ad Platonem emendandum in Platonicis post Programma Gymnasii Leidensis. Insunt praeterea glossae sacrae sed paucae admodum, ut γ. 79 γειώρας.

Finem faciam indicandis aliquot veterum scriptorum locis qui ex nostro lexico emendari possunt.

Legitur δ. 5 in voce δημόσιος· ἐλλειπτικῶς δὲ λέγουσι τὸν δημόσιον παρέντες τὸν οἰκέτην. Hodie obstat Aesch. Tim. § 54: πρὸς ἄνθρωπον δημόσιον οἰκέτην τῆς πόλεως, ubi οἰκέτην eo libentius expunxerim, quia constat Aeschinem a nostro grammatico saepissime respici, ita ut hunc ipsum locum ei ante oculos fuisse putem.

Glossa ε. 18: εἰσφρήσειν· εἰσφορήσειν καὶ εἰσδέξεσθαι· ἐμφαντικῶς δὲ εἶπε· διὰ γὰρ τοῦ ῥήματος τὴν φορὰν τῶν εἰσιόντων ἐδήλωσεν. Quis dubitabit in rhetorico lexico respici Demosth. Cherson. § 15: οἶμαι . . . . εἴ τισι μᾶλλον ἀπιστοῦσιν ἢ ἡμῖν, καὶ τούτους εἰσφρήσεσθαι μᾶλλον ἢ ᾽κείνῳ παραδώσειν τὴν πόλιν. Imo illinc restitue εἰσφρήσειν. Illa litera ε imprimis plena est glossarum Demosthenicarum.

Alterum exemplum habes ε. 138: ἐπιτετιμημένον· τὸ τίμησιν καὶ ἐπίτασιν ἐν τῇ τιμῇ λαβόν. Respicitur Dem. Polycl. § 6: ὁρῶντες ἐν τῷ Πειραιεῖ τὸν σῖτον ἐπιτιμώμενον καὶ οὐκ ὄντα ἄφθονον ὠνεῖσθαι. At annona non cara *fiebat* sed *facta erat*, unde a grammatico gratus accipio ἐπιτετιμημένον.

Glossa est π. 136: προσηλῶν· καθηλῶν, Φράττων. Respicitur Dem. Mid. § 17: τὰ παρασκήνια Φράττων προσηλῶν, ubi vide

an deleri debeat Φράττων ex interpretatione natum.

Addam τ. 27: τηλία· ἤτοι ξύλινόν τι ἐφ' οὗ ἔπαιζον οἱ κυβεύοντες ἢ πλέγμα τι ψιαθῶδες ϛρογγύλον ἐφ' οὗ συνέβαλλον τοὺς ἀλεκτρυόνας. Hic quoque locus documento sit supervacanea esse verba in Tim. § 53: διημέρευεν [ἐν τῷ κυβείῳ] οὗ ἡ τηλία τίθεται. Cf. κ. 106.

In eadem Timarchea § 59 legitur: ἀϛραγάλους τέ τινας διασείους καὶ Φιμοὺς καὶ κυβευτικὰ ἕτερα ὄργανα καὶ τοὺς ὄρτυγας καὶ τοὺς ἀλεκτρυόνας. Respicitur hic locus in nostro lexico α. 91: ἀϛράγαλοι διάσειϛοι et Φ. 6: Φιμοί· κυβευτικὰ ὄργανα. Hinc quantocyus expunge apud Aeschinem καὶ κυβευτικὰ ἕτερα ὄργανα. Atheniensibus interpretatione minime opus erat.

Contra υ. 13: ὑπωπιάζων· ὑπτίως καὶ οὐκ ὀρθῶς περιπατῶν, rescribe e Timarchea § 132: ὑπτιάζων.

§ 22.

De Helladio.

Operae pretium est nunc videre de Helladii Chrestomathia, de qua Photius retulit in Bibliotheca. Codex est apud eum 279, de quo ut solet, Ἀνεγνώσθη inquit ἐκ τῆς Ἑλλαδίου Βησαντίνου ἐπιγραφομένης πραγματείας χρησομαθειῶν α' β' γ' δ'. Tum excerpit observationes quasdam miscellaneas de quibus ulterius nobis inquirendum est, quia Dionysius Halicarnassensis nominatim in iis laudatur. Refert Helladius: ὅτι Διονύσιός φησι μὴ λέγειν τοὺς ἀττικισὰς ὠνησάμην, ἀλλ' ἀντ' αὐτοῦ τὸ ἐπριάμην, καίτοι καὶ ὠνεῖσθαι καὶ ὠνήσατο (hoc corruptum est) καὶ ὠνούμενος καὶ τὰ ἄλλα λέγοντας. Mireris veterem et doctum grammaticum talia docuisse, quae nobis fere puerilia videntur, sed castigandi erant aequales, qui haec ignorabant et in loquendo perpetuo peccabant; neque dissimile est quod Photius ex eodem ut opinor Dionysio monet v. ἐώρων. Alter locus est: ὅτι τὸ ἀρχέτυπόν φησιν Ἑλλάδιος οὐδενὶ τῶν ἀρχαίων συγγραφέων οὐδὲ ῥητόρων οὐδὲ τῶν μούσαις κατόχων εἴρηται, ὡς Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἱϛορεῖ. Miratur Meursius scriptorem Antiquitatum Romanarum aliquoties ipsum usum fuisse vocabulo quod damnaret, sed confudit ut vides avum et nepotem. Sunt autem

praeter eos duos locos alii aliquammulti, in quibus vestigia Aelianae doctrinae haud difficulter deprehenduntur. Quod Helladius docet: ὅτι τοῦ μὲν ἀνδρὸς τὸν ἀδελφὸν αἱ γυναῖκες δαέρα καλοῦσιν, τὴν δ' ἀδελφὴν οὐκέτι δάειραν ἀλλὰ γάλων, καθὼς καὶ Ὅμηρός φησι· Εἰδομένη γαλόῳ Ἀντηνορίδαο δάμαρτι· καὶ θεῖον μὲν ὀνομάζουσι τὸν τοῦ πατρὸς ἀδελφὸν, οὐκέτι δὲ θείαν τὸ θῆλυ ἀλλὰ τηθίδα· καὶ πάππον μέν φασι τὸν πατέρα τοῦ πατρός, μάμμην δ' οὐκέτι τὴν τοῦ πατρὸς μητέρα, ἀλλὰ τήθην· μάμμας δὲ οἱ παλαιοὶ τὰς αὐτῶν μητέρας καλεῖν εἰώθεσαν: hoc igitur conferendum est cum iis quae Eustathius ex Aelio Dionysio affert p. 648. 26 et 971. 20. Disputat Helladius de nominibus literarum, dicendum esse μῦ νῦ φεῖ χεῖ ψεῖ διὰ διφθόγγου καὶ περισπωμένως· attigit idem argumentum Aelius Dionysius apud Eustath. p. 370. 12 et Phot. v. μῶ. Quaeritur apud Helladium dicendumne sit ὁ τάριχος an τὸ τάριχος· saepe iam excitavimus Dionysii fragmentum apud Eustath. p. 1390. 50. Nil igitur mirum est, si quando Helladius eadem tradit quae Photius. Helladius unice probat καλὸς κἀγαθός, improbat ἀγαθὸς καὶ καλός. Similiter Photius in voce. Μάλη extra usum est, praeterquam in locutione ὑπὸ μάλης· consentiunt Helladius et Photius. Agit Helladius de verbo μακκοᾶν· rarissimum verbum etiam a Photio enotatum est. Helladius existimat ἄλευρον factum esse e μάλευρον· invenies vocabulum apud Photium. Uterque eodem modo interpretatur τὸ κρήγυον. Uterque probat Atticum vocabulum μάκτραν, cet. Etiam sextum Bekkeri lexicon quo multa ex Aelio Dionysio excerpta continentur, in quibusdam cum Helladio convenit. Prima statim observatio quam Patriarcha indignabundus descripsit cur Moses ἄλφα dictus fuerit, διότι ἀλφοῖς τὸ σῶμα κατάσικτος ἦν, legitur apud Bekk. p. 381. 27. De spiritu pronominis ἄττα egit Helladius; locus est multo plenior in Bekkeri lexico p. 460. 32. Helladius interpretatur ἀσράβη et ἀσραβηλάτης, cf. lex. Bekk. p. 454. 18 et 455. 15.

Quid igitur? Dicamne Helladium legisse Aelium Dionysium? Non faciam. Supra videor mihi obtinuisse Phrynichum libenter exscribere et nominatim interdum laudare Dionysium. Cum igitur videam quanta sit convenientia inter Helladii et Phrynichi reliquias, quam Photius quoque observavit cum de eo iudicium ferret, malo statuere inter Helladium et Dionysium, tertium,

Phrynichum dico, intercedere. Visne exempla quibus hoc probem? Quod fragmentum primo loco posui, ubi Helladius Dionysium auctorem affert, id non magnopere differt ab eo quod Phrynichus tradit in Ecl. p. 56. Observatio de locutione ὑπὸ μάλης apud Phrynichum est p. 84. Μάμμην apud Atticos *matrem* significare non *aviam*, iisdem fere verbis est apud Phrynichum p. 52. Dicendum esse γλωσσοκομεῖον penultima longa Helladius habet e Phrynicho p. 34. Quod intersit inter θρίδαξ et θριδακίνη exponit Helladius; lacera est Phrynichi observatio p. 52. Prudenter Aelius Dionysius apud Photium: ξύσραν καὶ σλεγγίδα λέγουσι. Phrynichus in Ecloga edicit pro imperio: ξύσραν μὴ λέγε ἀλλὰ σλεγγίδα. Factum est in Helladio quod in excerpendo saepe factum est apud alios, ut observatio inverteretur; absurdum est quod Helladius tradit incertum ipsius an Photii vitio: παλαιότερον καὶ ἡ ξύσρα τῆς σλεγγίδος.

